JO. BAPTISTAE CASTI
FALISCODUNENSIS
LATINA CARMINA

JOANNIS BAPTISTAE CASTI

OLIM

CANONICI ECCLESIAE FALISCODUNENSIS

ET IN SEMINARIO

RHETORIS

LATINA CARMINA

FALISCODUNI

TYPIS SEMINARII ANNO MDCCCLIX

Excudebat Uldaricus Sartini

STUDIOSAE JUVENTUTI

SEMINARII ET COLLEGII FALISCODUNENSIS

CAN. DOMINICUS SARTINIUS RHETOR

Quamvis dolendum sit JOANNIS BAPTISTAE CASTI *ingenium honestatis terminos fuisse praetergressum , tamen nobis gloriari fas est , eum , dum in patria moraretur , carmina omnia caste integreque scripsisse; inter quae nonnulla extant latino stilo exarata. Haec , quae antea disjecta atque dispersa legebantur , colligenda , typisque imprimenda curavi. Etenim Castius in hoc etiam poeseos genere tantum obtinebat artis atque efficacitatis , ut il-*

lum non modo continenter ingeniosum ac vigilantem, sed et ad res omnes vel difficillimas poetice scribendas a natura conformatum reperias. Habes enim in poeta politicum, habes philosophum; sed ita tamen, ut argumenta per se salebrosa cum linguae elegantia et nitore commista dulcem utilemque elaborent saporem.

Fruere igitur, studiosa juventus, pretiosissimis hisce fructibus nostro in solo natis, quorum uberior fortasse copia in tuam dimanasset utilitatem, si Castius e patria decedens una cum caelo animum quoque non mutasset suum. Vale.

Ex aedibus Seminarii et Collegii Kalendis Augusti An. MDCCCLIX.

DE PHANTASIA SOMNIANTIUM

AD STERTINIUM

ELEGIA

Qui fit, Stertini, ut quae quisquis agitque, videtque,
Saepius in somnis ipsa agit, ipsa videt?
Quive fit, ut vigiles cupimus quae saepe, diuque,
In somnis eadem reddat amica quies?
Sanguine crediderim noctu simulacra cieri,
Quae ad sensus species extera saepe tulit;
Crediderim noctu motus durare diurnos,
Quos desiderium, spesque, timorque creat.
Nocte domi recubans, lepores venator, et apros
Somniat, et celeres per juga celsa canes.
Somniat aequoreos fluctus, atramque procellam,
Quamlibet in tuto littore nauta jacet.
Somniat adversos concurrere miles in hostes,
Saevaque sopita concutit arma manu,
Quin et piscator molli projectus in alga
Defessa immersus membra sopore gravi,
Somniat auratis impleri retia rhombis,
Queis forsan nitidus lucet in ore lapis.
En ego, qui tenuem censum spe solor inani
Quasque negavit opes sors mihi, mente fruor,

Aedificans vacuo pendentes aere turres,
(Spe siquidem dives quilibet esse potest,)
Oh quae praeterita laeta egi insomnia nocte!
Quas mihi delicias obtulit hora brevis!
Dum placidum toto carpebam corpore somnum,
Se menti exhibuit ludicra scena meae.
Ille egomet quondam pauper, Rex esse videbar,
Ornabatque meum Regia pompa thronum.
Aurea parietibus pendent aulaea superbis,
Magnificasque dapes splendida mensa parat.
Et me nobilium late circumsidet ordo,
Nutibus et pendet plurima turba meis:
Et novitate stupens inflabar imagine Regni,
Regis erant mores, verbaque Regis erant.
Ite, redite citi, Rex sum parere necesse est,
Mens mea lex esto: sic volo, sic jubeo.
Certatim famuli centum mea jussa facessunt:
Veh misero! si quis lentius illa facit.
Quippe decennales minitabar saepe triremes,
Saepe etiam exilium, verbera, vincla, cruces.
Haec mihi dum tacitam ludunt insomnia mentem,
Excutior somno, pauper ut ante fui.

DE POETARUM PHANTASIA

ELEGIA

Quique suos posuit fines Natura, Deusque:
Nulla tamen Vati jura, modumque dedit.
Quidlibet audendi data vatibus ampla potestas,
Et quascumque velint currere posse vias.
Scilicet incaluit quoties mens vatibus aestro,
Phaebeo quoties percita ab igne furit;
Omnia perrumpit, praetervolat omnia velox,
Quaeque alii nequeunt, quidlibet ausa potest.
Nunc ciet aequoreos fluctus, nunc aequora placat,
Et nunc longinquas tendit ad usque plagas.
Nunc loca percurrit, quae torrida semper ab igne
Et virides herbas, et sata laeta negant.
Nunc Populos gelidae subjectos aspicit Arcto,
Quos rigida aeterno frigore stringit hyems.
Nunc super astra volat, penetrat nunc ima profundi,
Nunc ubi sol moritur, nunc ubi surgit, adest.
Nunc tremit ultrices inter sine vindice Divas,
Nunc inter laetas ludit Hamadryadas.
Tartareae custos aulae stupet ore trifauci,
Dulce poetarum si capit aure melos.
Cuncta licent vati: hinc homines e dentibus orti,
Saxaque belligeros progenuere viros.

Sique volet, facile vates se vertit in albam,
Humanae oblitus conditionis, avem.
Quin si iactura est cuiquam reparanda cerebri,
Hoc opus, hic ingens, hanc reparare, labor.
Se coelo attollens tentato haud amplius ausu,
Aligero Lunae concava scandit equo.
Nam quidquid cerebri hinc nobis evanuit, illuc
Advolat, et vitreis conditur in phialis.
Aut minor, aut maior sua cuique videlicet illic
Est phiala: at vatum maxima quaeque tumet.

*Inter **PAMPHILUM** Philosophum Peripateticum ,*
*et **LABERIUM** quemdam ex iis ,*
quos vulgo somnambulos *vocant.*

DIALOGUS

PAMPHILUS

O Laberi salve.

LABERIUS

Valeas o Pamphile.

PAMPHILUS

Quo quo
Tam propere ? Lubeat paullum subsistere , paucis
Te volo.

LABERIUS

Jam dices alias: nunc quippe laborat
Coxa dolore gravi , et casu contusa recenti ,
Chirurgum peto.

PAMPHILUS

Quid narras ? proh triste ! videbam
Te pede nimirum titubantem incedere claudo.
Verum qui factum ?

LABERIUS

Meliori tempore dicam:
Nunc sine me.

PAMPHILUS

Sed pauca tamen.

LABERIUS

Si scire laboras
Accipe. Praeterita carpebam nocte soporem,
Cum mihi visa dies alto lucescere sole
In somnis, et nescio quid me urgere negoti,
Prosiliensque toro, noto circumdor amictu,
Et soleas, caligas, tunicam, femoralia, necnon
Apto humeris breve palliolum, capitique galerum.

PAMPHILUS

Omniane in somnis?

LABERIUS

Mirabere? sed meus est mos.

PAMPHILUS

Pol! apage hunc morem; verum quid deinde?

LABERIUS

Cubili
Egredi, et audenti hac illac discurrere gressu,
Tum pede inoffenso scalis descendere, clausas
Et reserare fores, tacitusque excedere tectis.

PAMPHILUS

In somnis ne etiam?

LABERIUS

In somnis, dixi, meus est mos.
Accipe quod reliquum est: dum totam pervagor urbem,
Forte erat Aufidii domus instauranda, viaque
Prostabant media caementa, aggestaque saxa.
Inscius offendi, et casu revolutus acerbo,
Coxa, dolor! saxis adversa impegit acutis.
Protinus excutior somno tremefactus, et aegre

Exanimisque domum media me nocte reduxì.

PAMPHILUS

Non quod concideris, Laberi, tantummodo miror,
Quod capite incolumi es, quodque ossibus integer usque huc.
Credo autem, toto si pondere concidis, ictum
Longius audiri, ceu cum procumbit humi bos,
Quippe saginatum vincis pinguedine porcum.
Sed quoniam mihi nulla tuae est medicina saluti,
Haec tamen in tanto sumas solatia damno.
Quid tuus iste velit morbus, causasque docebo,
Si quidquam veri crepuit Gorgonius olim,
Quo doctore duos usus sum circiter annos,
Quique mihi penitus Naturae arcana reclusit;
Dignius ex quo me studium, coetusque sophorum
Excipiens, tandem puerilia mittere iussit,
Excussitque manu Ciceronem, Virgiliumque.

LABERIUS

Me, sodes, nunc mitte, satis mihi coxa molesta est;
Obtundunt nimia me garrulitate sophistae.

PAMPHILUS

Ergo quid? hunc hominem audes appellare sophistam?
Proh rabies! numquid tibi vafra sophismata vendo?

LABERIUS

At quaeso, bona verba, iocans, o Pamphile, dixi,
Quippe homo sum placidus, tecum contendere nolim,
Doctus es, immo mihi doctissimus. Amplius hoc vis?
Attamen ignoscas: alias affabimur, urget
Nunc me quid maius.

PAMPHILUS

Sequar ergo.

LABERIUS

Nil opus est te

Circumagi.

PAMPHILUS

Exili sum corpore, nec piger.

LABERIUS

Eia

Dic saltem paucis, si tandem audire necesse est.

PAMPHILUS

Ut lubet. Ergo velis fieri si doctior, audi,
Atque animo penitus, minime haec temnenda reconde.
Si qua usquam sanis oculis obiecta tuemur,
Percipimusque manu, vel nare, vel ore, vel aure,
Effigies quaedam, rerumque simillima imago
Protinus externis impingit sensibus; inde
Haec rerum species oblata extrinsecus, alte
Imprimitur molli cerebro deducta per imos
Nervorum tubulos . . . . . rides, stultissime rerum?
Nervorum tubulos, et sanguinis acta vigore,
Et vi spirituum, quos appellant animales.

LABERIUS

Belle equidem: quorsum tamen haec tam ducere ab alto?

PAMPHILUS

Quippe ita perspicuo deducitur ordine sermo,
Cuncta etenim sunt ceu docta connexa catena.
Cum vigilant sensus, mens experrecta tuetur,
Et legit exposito veluti descripta libello

Sculpta cerebrosae rerum simulacra medullae.

LABERIUS

At paulisper ades: tenuis me scrupulus angit:
Nonne cerebrosum si rite latina recordor,
Insanum sibi vult? igitur cerebrosa medulla
Stulta medulla tua est: num non?

PAMPHILUS

Vah nescie rerum,
Nec medicas voces, nec docta vocabula calles.
Intima pars cerebri, Medicis cerebrosa medulla est.

LABERIUS

Pamphile, parce precor, non omnia novimus omnes.
Me Deus abnormem fecit, crassaque Minerva,
Et sermone meo, et verbis nostratibus utor.

PAMPHILUS

Heu pudor, heu quot agit caecos inscitia rerum!
At saltem poteris me plurima nosse Magistro.
Omnibus ergo illic mens assidet arbitra, profert
Iudicia, humanosque exercet libera motus,
Ingemit, odit, amat, gaudet, timet, imperat, optat.

LABERIUS

Quam profers peregrina, pape! quam mascula verba!
Quam sublime sonas, quamque expuis ore rotundo!

PAMPHILUS

Cuilibet e populo nimirum haec obvia non sunt.
Languida cum vero laxantur corpora somno,
Mens etiam placida veluti composta quiete,
Et miris sopita modis, vi cessat ab omni.

Tum pars quae celeris purissima sanguinis, usque
Ad cerebri refluit sinuosa volumina, formas
Excitat ignavas: surgunt tum somnia mille,
Incautam varia fallunt et imagine mentem,
Ludicra nocturnis veluti spectacula scenis.
Mens autem species tantum prospectat inanes;
Sed neque iudicium est, nec agendi certa voluntas.

LABERIUS

Macte tot et tantis virtutibus; at brevis esto.

PAMPHILUS

Me, ut melius faciam, noscas, si non bene nosti.
At si dilueris nimio praecordia Baccho,
Escarum aut avidum implerit mala copia ventrem,
Multiplicis vexat stomachum discordia succi,
Crudique ad cerebrum assurgunt plerumque vapores,
Et sopita cient pravo phantasmata motu.
Plurima tunc aegram funesto insomnia visu
Mentem sollicitant, et turbida terret imago.
Atqui nulla movent sopitos extera sensus:
Ergo intra est omnis tantorum causa malorum.

LABERIUS

Cuncta equidem quae vis: at si potes, abstine ab ergo.

PAMPHILUS

Cur?

LABERIUS

Facile huic verbo stomachor: sonat aure molestum
Nescio quid mihi.

PAMPHILUS

Mirus homo es, forte unicus.

LABERIUS

Atqui
Sic habet: at vetus est. Memini cum nempe caleret
(Ut plerumque solet) doctis studiosa iuventus
Olim dissidiis, audito protinus ergo,
Ceu canis ad ferulae sonitum, procul effugiebam.

PAMPHILUS

Tune mihi hanc, Laberi, fabellam obtrudere tentas?
Vel quisnam tibi prava creat fastidia morbus?
Audin' cum largo pulmone exploditur ergo,
Quam tonat, atque hostem sternit ceu fulminis ictu?

LABERIUS

At mihi perstringit miseras crudeliter aures.

PAMPHILUS

Si tamen enervis placet, et sine robore sermo,
Ne timeas, placide loquar, ut pudibunda puella.

LABERIUS

Numquid adhuc tibi plura tamen dicenda supersunt?

PAMPHILUS

Ad te nunc venio: dixi nihil hactenus ad rem,
Ergo age, quae hesternam cumularunt fercula caenam?

LABERIUS

Nil ego praeter olus, fumosae cum pede pernae,
Ovaque bina edi, fervens quae coxerat unda.

PAMPHILUS

Dura edis ova? malum! duro quid crudius ovo?
Dura calor stomachi nunquam bene concoquit ova.
Haec stomacho damnosa ferunt, cerebroque tumultum.
Ergo nil ultra, duro causa omnis ab ovo.

LABERIUS

Pol! me occidisti! nunquam cessabis ab ergo?
Stridentique sono frendes mihi semper in aure?
Vin' tandem in nasum vitream mihi surgere bilem?

PAMPHILUS

O hominem placidum! repetito irasceris ergo;
Quippe est grande malum! sed ne indignere, cavebo
Ingrato teneras posthac offendere verbo
Auriculas: animo exciderat; jam haud excidet unquam.
Cum tandem vario miscentur spectra tumultu,
Et latebris excita suis, vim sanguinis urgent
Acrius, hic celeri repetens vestigia nota
Impulsu, fibras, nervos, et caetera motus
Instrumenta ciet, rebusque assueta diurnis
Quos sensu vigilante frequens exercuit usus,
Exercent actus sopito corpora sensu,
Dextraque quas tetigit, tum res contrectat easdem,
Pesque vias relegit, crebro quas legerat ante.

LABERIUS

Iamdudum ausculto, miserum iugulasque loquendo:
Iam satis hoc.

PAMPHILUS

Tantisper adhuc.

LABERIUS

Plus iam satis.

PAMPHILUS

Audi,

Plurima sunt etiam,. . .

LABERIUS

Nihil ipse diutius hercle
Audiam :

PAMPHILUS

At haec saltem : sunt plurima . . .

LABERIUS

Iam satis hoc
Iam tandem.

PAMPHILUS

Ergo vale , ergo vale.

LABERIUS

Di te male perdant.
I blatero, vacuoque inflata cucurbita vento.

DE PHANTASIA PHILOSOPHORUM

AC PRÆCIPUE DE CARTESII SYSTEMATE

ODE ALCAICA

Quo me per altum, perque iter invium
Monstris paventem, Calliope, rapis?
Jam Terra, jam Coeli recedunt,
Omnia jamque Chaos resorbet.
Non usitatas miror imagines,
Nec firma tellus pondere stat suo;
Vertiginoso sed tumultu
Forma oritur, faciesque Mundi.
Quos, quotque circumvolvere vortices,
Qua prominentes cernimus angulos
Vi conteri, quasque huc, et illuc
Pulvereas volitare nubes!
Quas non figuras jugiter induit
Hic purus aether? seque meatibus
Cuniculosis inserendo
Nil patitur superesse inane.
Quippe hic perenni vorticis impetu
Ad usque centrum truditur intimum.
Hoc fonte derivata solis
Flamma micat, radiosque fundit.

Vides quot hanc circum exigui fluant
Orti ex voluta materia Globi ?
Ut rite transmittant , et una
Compositos radios refringant?
Hinc tractus omnis scilicet aeris ,
Hinc vastitas diffunditur aequoris ,
Imbresque , fontanaeque lymphae ,
Et celeres oriuntur amnes.
Hac in globorum congerie , velut
Nostro volucres infimo in aere ,
Aut aequoris pisces in undis ,
Terra , vagique natant planetae :
Nam vi coactae particulae simul
Se tortuosis nexibus implicant ,
Unde et repercussa incidentes
Luce iterum radios reflectunt.
Quo Musa tendis ? desine pervicax
Tumultuoso vortice territam
Turbare mentem , meque tandem
Restitue in placidam quietem.

DE EADEM PHILOSOPHORUM PHANTASIA

AC PRÆCIPUE DE PTOLEMÆI SYSTEMATE

ODE SAPPHICA

Cinge veloces tibi, Musa, pennas,
Linque jam terras, juvat altiores
Aetheris tractus, propiusque summos
Visere Coelos.

Aeris praetergrediamur oras,
Unde labuntur pluviae, nivesque,
Unde nos magno trepidos fragore
Fulmina terrent.

Aspicis Coelos velut aere fusos?
Pallidam Lunae faciem tueris?
Deprimi et valles humiles, et altos
Surgere montes?

Candidae hinc Astrum Veneris, diurnae
Nuntium Lucis, minus inde fulget
Mercuri sidus, nimium propinquo
Sole perustum.

Proximus quanto micat igne Phoebus!
Hic procul noctem, tenebrasque pellit,
Reddit hic cunctis, adimitque rebus
Mille colores.

Luce Mars ardet rubea, Jovemque
Quattuor circum comitantur astra ,
Inde Saturni spatiosus ambit
Annulus orbem.

Quae nitent multa radiata luce
Astra num dicam totidemne soles ?
Ampla non certe minus , aut minori
Lumine fulgent.

Eja jam tractus vitreos petamus ,
Atque coelestes tueamur undas ;
Quis super Coelos fluitare magnum
Crederet aequor ?

Cerne nunc quanto revoluta motu
Altior moles rotet , et minores
Secum in adversum rapiat diurno
Impete Coelos.

Musa, quo tandem penetrabis audax ?
Quidve iter tentas homini negatum ?
Desine, et Coelo rediens ab alto
Labere Terris.

IN VATINIUM

QUI QUAM REVERA NON OBTINET

SCIENTIAM SIMULAT

HENDECASYLLABI

Ecquis hoc animo feret lubenti ?
Ecquis hoc oculis videbit aequis ?
En Vatinius ille , quem minerva
Declinat veluti puellus anguem ;
En Vatinius ille , quem sinistris
Natum numinibus fatentur omnes ,
Quem nec melpomene , nec ipse apollo
Nec ipsae Charitesque , Gratiaeque
Usquam luminibus tuentur aequis.
En adest hominum elegantiorum
Coetibus rudis ipse , et imperitus ,
Qui frontem properanter , indicesque
Librorum attigit , atque lectitavit ;
Veras nescit enim eruditiones ,
Nec limen tetigit scientiarum :
Plurima tamen eruditione
Effert se tumidum , scientiisque ;
Et si sermo oritur quis eruditus
Cuncta despicit , improbatque cuncta ,
Et supercilio notat superbo ,

Et gestu, capitisque motione.
Ipse unus sapit, unus ipse novit
Sermonis decora, elegantiasque
Ipse callet, et optimos poetas,
Scriptores veteres, novosque callet.
Ipse et Philosophos celebriores,
Ipse et Rhetoricos politiores,
Et quod est hominum elegantiorum,
Et quod est hominum eruditiorum.
O cutis sale perfricanda multo,
Insulsumque caput! Caputne dicam?
An follem potius, cucurbitamque,
Aut si folle aliud, cucurbitaque
Est unquam leviusve, inaniusve.
At vos, o juvenes, quot estis omnes
Hunc arcete procul, quot estis omnes,
Omnis dedecus eruditionis,
Omnium et scabiem elegantiarum.
Nam quis hunc animo feret lubenti?
Nam quis hunc oculis videbit aequis?

GALLONII AD FILIUM SUUM

QUEM ROMAM SCIENTIARUM AC PRAECIPUE LEGUM

ADDISCENDARUM CAUSSA MISSURUS EST

MONITA

Nate, licet doctae multa cum laude Minervae
Jamdudum studiis teneros sacraveris annos,
Nunc tamen est animus Romam te mittere, quippe
Instituendus adhuc, artesque docendus honestas,
Quaeque sub hoc nunquam posses addiscere coelo,
Grande quibus tandem facias tibi nomen, oportet
Ut magnas urbes, et magna lycea frequentes.
Sic hominum studia, et varios cognoscere mores,
Sic poteris recta vitam componere norma.
Scilicet has veri partes reor esse parentis,
Ut studeat natos virtute augere, bonisque
Corporis atque animi: quod si Di coepta secundent,
Consiliumque meum, haud multum dispendia curo.
Verum ne pravi docilis vitium imbibat aetas,
Vergat et in laevum, vel rerum nescius erres,
Accipe quae genitor te censuit esse monendum.

Primo igitur venerare Deos, cole templa, nec usquam
Excidat ex animo pietas tibi, relligioque;
Tum fuge pestiferos comites cane pejus, et angue,

Perniciem morum, turpis, pravique Magistros,
Ne mala consuetudo animum corrumpat honestum.
Inde autem leges, et discere jura memento;
Jura decus, dant jura lucrum, nomenque, et honores.
Est ubinam studiis possis impensius istis,
Est ubi commodius quam Romae incumbere? Namque
Legum Roma parens, ibi sacra, ibi civica jura
Imperium posuere suum, quin et sapientum
Consilia haud desunt, responsaque, votaque Patrum.
Illic et vasta tollit se Curia mole,
Turba ubi conveniunt quamplurima Pragmaticorum,
Et magno tractant vocis conamine causas,
Fessaque clamoso resonant subsellia jure;
Iurgia dum dirimat Praetor, decretaque faxit.
Sunt quibus ingenuos e jure expromere sensus,
Atque illos recta ratione efferre, modoque,
Aut studium dedit, aut potior Natura, Deusve,
Et veluti in succum leges convertere, et omnis
Horum habitat medium jurisprudentia pectus.
Hos pete, ab his hauri leges, hos consule, puram
Ut valeas juris doctrinam ediscere: verum
Impuro ne forte bibas de fonte liquores,
Neu praestes nimium faciles nebulonibus aures,
Copia quorum ingens romana occurrit in urbe,
Horum omnes aperire dolos, fraudesque juvabit.
Forsan per mediae gradientem compita Romae
Saepius aspicies aliquem, cui serica circum
Vestimenta sonant, digito nitet annulus, aurum
Dependet femori, sese circumspicit, alto

Cuncta supercilio contemnit, et ore superbo,
Vixque levi capitis nutu, pressoque labello
Ante salutantes contracta fronte salutat.
Hunc tu aliquem reor antiqua de stirpe Catonum
Credideris, curasque, et magna negotia rerum,
Imperiique ingentem humeris attollere molem.
Quid si grandiloquo audieris sermone loquentem,
Magnifica, et rigido ructantem verba palato?
Quid si romanas scrutabere bibliothecas,
Atque ibi subnixos pluteo plerosque videbis
Grandia rugoso versare volumina vultu,
Principibus veluti juris responsa daturos,
Electosque graves rerum componere lites?
Hos tu tot Paullos, tot rebere Papinianos
Quique decem rursus tabulas conscribere possent.
Tu tamen haud rerum specie capiaris inani,
Neve latere putes quidquam sub imagine tanta;
Hi siquidem pagis Romam venere sabinis
A duris missi genitoribus, ut sibi natos
Efficerent fama celebres, jurisque peritos.
Sed nunquam penitus callosam ponere pellem,
Et crassum ingenium, et mores potuere paternos.
Nam licet expellas furca, natura recurrit
Usque tamen victrix: hinc sunt tantummodo jussi
Codicibus blattas, tineasque e pulverulentis
Excutere, et pedibus praxim exercere forensem,
Viribus ingenii haud quidquam patientibus ultra;
Ut tandem ignaro possent dare verba popello,
Et quavis ratione aliquod sibi quaerere nomen.

Obiicere incauto speciem virtutis, et umbram
Coeperunt vulgo, studioque ediscere multo
Omnia librorum quae prima, atque ultima monstrat
Pagina, magnificosque sonos, et inania verba,
Atque expilandos venari hac arte clientes.
Est quoque Pragmaticos qui fraudibus implicet omnes,
Circuat incautos, et vafro captitet astu.
Nempe is causidicis perverso jure dolosas
Tendere muscipulas didicit, laqueosque latentes
Instruere, atque aures nimio clamore fatigat.
Si rapias in jus, centum cohibere catenis
Haud unquam possis sceleratum vincula Proteum
Ludentem, innumeras doctum mutare figuras.
Cumque nec ingenio valeat, nec jure, nec aequo,
(Nam neque Digesti titulos, nec Codicis unquam
Vidit, et ignorat qua Textus voce loquatur)
Decernit tricis, et garrulitate perenni,
Atque acrem jactat sese, invictumque Patronum
Si de frigidulis lis est, obulisque negatis.
Tales Roma greges hominum vocat *aure minores*,
Dedecus, exitiumque Fori, atque opprobria juris.
Tu cave ne mala te laedant contagia, nate,
Tu cave fallacis ne te mendacia frontis
Decipiant, artesque vafrae, fucataque verba.
Sed facienda satis docui, vitanda retexi.
Vade age consiliis munitus, nate, paternis,
Et sapiens meliorque redi, atque instructior usu,
Ut patriae tandem fias columenque, decusque,
Quaeque tibi praecepta dedit pater, utere sanus.

AD QUINTIUM

UT INUTILIA PRAETERMITTAT, ET UTILIA, AC LUCROSA SECTETUR

EPISTOLA

Quid nunc te dicam ruri facere, optime Quinti,
Umbrosas inter silvas, et ab urbe remotum,
Dum fervent rabidi sextili mense calores?
Numquid grande paras conscribere? Scilicet ut te
Plurima apud seros commendet fama nepotes.
Crede mihi, tanti non est leve nomen, ut altos
Eripiat nobis somnos, et dulcia perdat
Tempora. Stultitia est macie tabescere docta,
Impallere libris, atque exemplaria prisca
« Nocturna versare manu, versare diurna, »
Egregium ut vatem miratrix turba salutet,
Teque oret supplex, ut candida carmina pangas,
Nupta est patricio si forte puella marito,
Aut si virgineo velet sacra tempora peplo.
Si tamen incautam laus subdola vellicet aurem,
Dic coram (invenies palponum nam omnia plena)
Qui tua miretur, stupeatque, et ad aethera tollat
Carmina, divino invidiam factura Maroni,

Contractisque superciliis, pressisque labellis,
O pulchre, o belle exclamet! divinus Apollo
Iam properat merita tibi cingere tempora lauro.
Tu tamen his tantum contentus vive, nec ultra
Sinceram, ac solidam speres attingere laudem;
Nam surda a tergo carpent tua carmina lima.
Assurget forsan sciolus, qui forte vagantis
Meschini errores, Bertoldinique libellos,
Bertoldique vafros tantum perlegerit astus.
Is quoque ridicule nasum suspendit aduncum:
Hic friget versus, curto haec pede syllaba peccat,
Nec redolent doctum vulgaria carmina vatem,
Et digito mendas designat, et ungue maligno.
Quis ferat haec? neve a studiis animum abstrahat? Ergo
Si sapis, et scrutis locuples cupis esse relictis,
Abstine Apollineis curis, et paupere Musa,
Atque Ridolphini praxim, librosque forenses
Perlege, causidici ut possis acquirere famam.
Tum gravis attonito leges expone clienti:
Hoc Baldus docet, atque hoc Bartolus, omnia novi,
Nec pudeat leges mentiri, et condere textus.
Tum te incedentem lento per compita gressu
Turba salutabit longe: Illustrissime, salve.
Tuncque cliens pinguem caprarius afferet haedum,
Alter vina dabit quae mittunt optima Cryptae, (*)
Atque erit in magno tibi foenore functio parva.
Nunc cedo si tibi quid pepererunt carmina. Verum
Mendicat vates, et inani pascitur aura.

(*) Faliscae Dioecesis oppidum.

Mitte igitur Musas, nummisque incumbe parandis:
Si multis etenim tumeant marsupia nummis
Indoctus, deformis, iners, ignobilis, asper
Sis licet; ingenuus, pulcher, lepidusque, sciensque,
Sique voles dici vates, eris alter Apollo.
Quod si gloriolae stimulus te pungit, et urit,
Et rerum ignarum pudet indoctumque videri,
Et cupis indocto doctrinam obtendere vulgo,
Haud ingens labor est, tumidas tantummodo noris
Proiicere ampullas, et sexquipedalia verba,
Atque geometrica eructare vocabula passim,
Puncta, superficiem, conon, tetraedra, scalenon,
Et cuncta ad leges revoces, normamque Mathesis;
Verborum tamen haud multum vim scire labores.
Sic etiam poteris medicas expromere voces,
Sphincterem, mediastinum, diaphragma, pilorum;
Sis laudator aquae, traducas scripta Galeni,
Germanos, Batavos, Gallos, Anglosque recense:
Cuncta voca ad trutinam, scriptores carpe latinos,
Aegyptum venerare, et ad aethera tolle Pelasgos,
Corrosoque legas insculpta vocabula saxo,
Quod tibi Gruterii, Sponii quod pagina monstrat,
Nullaque frons libri, nullus te fugerit index.
Sic poteris ventrem scabere, et dormire supinus,
Et docti famam studio venabere nullo.
Sin steriles artes, inopesque sequere sorores,
Sibila non deerunt, irrisoresque cachinni,
Nec tibi pieria quadrans erit ullus in arca,
Et macra saepe trahes vacuo suspiria ventre.

CRISPUS advena, cum duobus impostoribus PITOLEONTE veterum sententiis addicto, et BARULLO recentiorum sectatore, variis de rebus sermonem instituit, iisque adest RULLUS Barulli filius.

DIALOGUS

CRISPUS

Dicite, fas vestris accumbere coetibus? Hospes
Huc primum venio, morumque ignarus, et urbis:
Sin minus urbane, faciles, ignoscite, cives.

BARULLUS

Immo age, et officiis lubeat tibi parcere, porro
Hospitis haud vultus, haud exhorrescimus ora.
Quicunque es, nobis qui te tam comiter offers,
Hinc jam noster eris, veteres velut inter amicos
Fas tibi colloquiis jam liberioribus uti.

PITOLEON

Cujas tu?

CRISPUS

Romanus.

PITOLEON

Habent plerumque cerebri
Nescio quid vacuum Romani: quove vocaris
Nomine?

CRISPUS

Crispus.

BARULLUS

Aiu' Crispus? Quid Jupiter hoc est!
(Heu redis in mentem, fili, dulcissime fili,)
Hoc mage te, Crispus quod sit tibi nomen, amabo.
Nam mihi filiolus primaevo in flore juventae
Crispus erat, fato quondam praereptus acerbo.
Audin' Rulle? Ultro Crispum salvere iubeto.

RULLUS

Salve, Crispe.

CRISPUS

Quis hic?

BARULLUS

Natus meus.

CRISPUS

O bone, salve.

BARULLUS

Non malus is, laevo nec natus Apolline.

CRISPUS

Credo
Dummodo sit patriae quidquam virtutis in illo.

PITOLEON

Quae tibi sunt artes, quae munera, quidve vagaris?

CRISPUS

Palladias Patavi postquam didici hactenus artes,
Quaeque ibi jamdudum multo exercentur honore
Incubui studiis, ad patria tecta revertor.

PITOLEON

Jam nisi quis Patavi fuerit, vir non erit unquam.

BARULLUS

Hoc mihi pluris eris, doctas nam Palladis artes
Ipse etiam excolui, et si nos bene noveris, hercle,
(Absit ab invidia) doctos fateare necesse est.
Forsitan audieris nomen, famamque Barulli;
Namque quis ignoret nomen, famamque Barulli?
Nimirum hic ego sum.

CRISPUS

Tibi gratulor, at mihi nusquam
Nominis id, bene si memini, pervenit ad aures.

BARULLUS

Miror, Crispe, tamen damus hoc juvenilibus annis.
Iam nunc experiar quantum profeceris. Eja
Fare age, quem vates inter praestare latinos,
Quemve magis nitido reris candore loquutum?

CRISPUS

Vincere Virgilius gravitate, lepore Catullus
Visus, et omne vafer ridenti Flaccus amico
Tangere, et audaci ferri super aethera raptu.

BARULLUS

Virgilium memoras, et frigida carmina Flacci,
Ausoniae reticens clarissima lumina linguae.
Quid tibi Lucanus?

CRISPUS

Grandi turgescere nisu,
Deficiens medio sed enim conamine rumpi.

BARULLUS

Si nondum digno tractantem grandia metro
Audisti vatem, jam nunc audire licebit.

Scilicet aggredior sublimi includere versu
Magnum opus, Encyclium, quod nemo ante auserit usquam.
Neu quid forte putes dicto minus, accipe sodes
Principium, veteres nec jam mirabere vates.
Quae mare, quae tellus, quae vastus continet aether
Cuncta canam, et rerum revocabo ab origine caussas.

CRISPUS

Quae tibi conveniant potius, quam carmina Flacci;
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

BARULLUS

Grandia fastidis video, et sublimia. Verum
Si concinna placent, Valeri, quid amoena Thalia
Edidit egregium quem Bilbilis inclyta vatem,
Et sale qui multo conspersa Epigrammata scripsit?

CRISPUS

Pol! apage hanc scabiem: vosque o si cura decoris,
Vos caput insulsum furcis extrudite tandem
Coetibus e vestris, totoque Helicone Camoenae,
Turpia ne sacros contingant labra liquores,
Virgineosve choros facies obscoena profanet.

BARULLUS

Proh! Superi! tantumne homines audere! Quid istud
Nempe rei est? Vos o cerrito accurrite, cives,
Vos capiti insano elleborum praestate, maloque
Correptum genio, lustrali spargite lympha.
Namque quid ore vomis tantum pus, atque venenum,
Aurea discerpens divini epigrammata vatis?

Tuque animo indignos ausus perferre lubenti
Rulle potes ?

RULLUS

Quidni?

BARULLUS

Petulanti obsiste.

RULLUS

Quid ad me ?

BARULLUS

At tandem somno te Iuppiter excitet isto.
Tu quid , Pitoleon ?

PITOLEON

Nugas dedignor ineptas ,
Cunctaque prae Graecis , et magno aversor Homero.

CRISPUS

Tertius hicne Cato coelo delapsus ab alto est ,
Vel tripode ex magno reddens oracula Phoebus ?

BARULLUS

Sed si naturae scrutari arcana , sophorum
Pendere dicta juvat, rerumque exquirere caussas ,
Totus in hoc ego sum , proprium dedit hoc mihi regnum
Iuppiter , et magno implevit mihi munere pectus,
Quod magis ergo probas mundi sistema ?

CRISPUS

Ticonis.

BARULLUS

At tibi nullus erit sollers Galileus , et aeque
Nobilis ingenio , doctisque Copernicus ausis ,
Et medium immoti , qui circum lampada solis

Caetera continuo rapuerunt corpora motu ?
Nil tibi Cartesius, magno qui fervidus aestro
Impulit audacem, duxitque per ardua mentem,
Vorticibusque suis rapit astra, vagosque planetas ?

CRISPUS

Me sacra dicta monent immotam pondere terram
Stare suo, solisque jubar circum orbe revolvi.

PITOLEON

Heus quaenam, stulti juvenes, injuria tanta
Divino primos Ptolemaeo tollit honores ?
Qui magnam peperit per tot sibi saecula famam,
Invida quam nullo potuit convellere morsu,
Nec quidquam laudis, nec luminis abstulit aetas.
At si quis veteri demens a calle recedit
Insuetum ingrediens iter, o quam devius errat !

CRISPUS

Assiduus labor, et veri experientia mater,
Quin et longa dies Ptolemaei dicta refellunt.

BARULLUS

Quemve ducem sequeris, cujus praecepta vereris ?
Democritine probas atomos, vel puncta Zenonis,
Numquid Pithagorae numeros, vacuumque Epicuri,
Numquid Aristotelis formas, ideasve Platonis,
Et quaecumque levis commenta effutiit olim
Graecia nugarum inventrix.

CRISPUS

Cum philosophandi
Quod juvet, et lubeat sit libera cuique potestas,

Nullius addictus jurare in verba magistri,
Quae mens, et ratio mihi suaserit, id sequor ultro.

BARULLUS

Nunc te hominem reor: hoc sapere est: magnum hoc ego duco,
Quod lubet eligere, et nulli servire magistro.
Sic ego, naturae penetralia pervia paucis
Ingenii postquam rimatus acumine multo
Pervolvens veterum monumenta, librosque recentum
Unde unde excerpens sanissima, et optima quaeque,
Ipse duas rerum primas ab origine caussas
Repperi, et haec animo sententia prorsus inhaesit:
Altera Newtonis causa est, attractio nempe,
Altera Franklini, nimirum electricus ignis.
Vertitur hic omnis Leibniz, doctrinaque Wolfi,
Clarckius hic, Lokiusque, et caetera turba recentum.

RULLUS

Haeccine, dic, genitor, sunt, credo, vocabula Thracum?

BARULLUS

Nate, tace, ne forte patri sis caussa pudoris.

PITOLEON

Neve pudet Graecis Gallos praeponere, et Anglos,
Et quos sub rigido peperit Germania coelo?
Parcite sed grandi proferre recentia fastu,
Quae veterem externo celant sub cortice sensum.
Nil sub sole novum, praesens cuncta innovat aetas,
Quaeque diu jacuere, ad luminis evocat auras,
Et depicta novis antiqua coloribus effert.
Quisquis Aristotelis sed enim vestigia liquit,

Desipuit veri deflectens tramite recto.

BARULLUS

Hinc apage, o, sodes, isthaec tam putida tandem,
Neu vetera obtendas toties totiesque recocta,
Et lubeat multo sermones nectere succo
Conspersos, sanum sapiat qui sinciput.

CRISPUS

Eja',
Quaenam vis ingens immensae pondera terrae
Cardinibus quatit ex imis?

BARULLUS

Electricus ignis:
Impatiens hic nempe loco compressus in arcto
Circum obices urget. Num non ita Rulle?

RULLUS

Ita sane.

BARULLUS

Hem caput exagitas? Men' risu illudis acerbo?
Fare, age, Pitoleon, si mens contraria perstat.

PITOLEON

Haecne probem?

CRISPUS

Si quid melius tibi suppetit, effer

PITOLEON

Viscera se penitus telluris in intima trudunt
Frigida cum calidis, fitque *antiparastasis*, inde
Concutitur tellus. Numnon ita Rulle?

RULLUS

Ita porro.

CRISPUS

Heus macti estote ingenio , et virtute sodales :
Pergite jam , permagna oritur mihi namque voluptas.
Quae caussa aethereos accendit fulminis ignes ,
Horribilesque ciet sonitus ?

BARULLUS

Electricus ignis
Praecipiti obstantem disrumpens aera motu.

PITOLEON

Verum age , quid tandem hic sibi vult electricus ignis ?

BARULLUS

Pol ! haec ignoras? Franklini Electricus ignis
Quam lateat, sodes? Age Rulle , edissere , namque
Scis, reor, haec.

RULLUS

Min' tu istud ais?

BARULLUS

Tibi porro.

RULLUS

Mehercle
Nec si homines inter fuerit Franklinius , usquam
Hactenus audivi.

BARULLUS

O mea fusa pecunia frustra !
Parcite vos quaeso , comites , huic parcite bardo.
At tua , Pitoleon , quoque nunc sententia , numquid
Dissidet a nobis ?

PITOLEON

Etiam.

BARULLUS

Quae fulminis ergo
Caussa tibi ?

PITOLEON

Porro haec: urgent se, et in aere pugnant
Humida cum siccis, fitque *antiparastasis*, atque
Per coeli tractus magno ruit impete fulmen.

BARULLUS

Verum age, Pitoleon, haec *antiparastasis* ecquid
Tandem est.

PITOLEON

Oh! nescis: veteres, i tu quoque, doctos
Consule, et a puris doctrinam fontibus hauri.
Hic multum studii, multum hic impende laboris,
Ut quoque tu nescis quae plurima, et optima discas.

CRISPUS

Num sit amabilior, num sit jucundior ulla,
Quam quae tot praebet mihi ludicra scena cachinnos?
Stat mihi tam lepidas risus producere caussas.
Nunc agite, et quoniam penitus Deus ima reclusit
Naturae vobis penetralia, dicite, quae vis
Tot res tam varias miro conjungit amore,
Colligit inque unum, et stabili compagine firmat?

PITOLEON

Caussa, Barulle, tibi reor est electricus ignis.

BARULLUS

At tibi, Pitoleon, erit *antiparastasis*.

CRISPUS

Eho

Scommata, ludibrium procul absit, et aemulus ardor,
Docta nec urbanas offendant jurgia leges.
Quisque ferat placide sibi quae sententia menti est:
Incipe, Pitoleon, tu deinde, Barulle, sequeris.

PITOLEON

Sympatico prorsus nexu sibi cuncta cohaerent,
Cuncta ligat stabili virtus occulta catena.

CRISPUS

Digna haec Philosopho ratio est: quid ad ista Barullus?

BARULLUS

Corpora quaeque trahunt sese, sociantque vicissim,
Indita iis nempe haec vis omnibus.

CRISPUS

Hoc quoque magnum est.
Nullane Rullus habet quae tam sapientibus addat?

RULLUS

Nulla equidem.

CRISPUS

Nunc quid reflui maris efficit aestum.

PITOLEON

Sympatica haec vis est.

BARULLUS

Haec est attractio: namque
Lunaque, solque maris subjectas attrahit undas.

CRISPUS

Quid ferrum tanto magneti jungit amore?

PITOLEON

Virtus sympatica est.

BARULLUS

Imo vero attractio.

CRISPUS

Sed quid
Haec a sympatica virtute attractio differt?

BARULLUS

Pitoleon, tuus hic sit honos.

PITOLEON

Tuus immo Barulle.

BARULLUS

Haud faciam.

PITOLEON

Neque ego.

BARULLUS

Non sum tam rusticus.

PITOLEON

Haud me
Officio vinces.

CRISPUS

Sed parcite, jurgia Rullus
Finiet.

RULLUS

At mihi jam surgunt in vertice cristae:
Me sinite o tandem, neve his me includite tricis.
Mi caput obtundunt ignota vocabula dudum.

BARVLLVS

Vere Rullus ait, lites mittamus inanes.
Gratum aliquod cur non agitamus, et utile nobis?
Nilne aliud Patavi didicisti?

CRISPUS

Plurima sane,
Nam Vallisnerio medicinae elementa magistro
Edidici, et quae sint humano in corpore partes,
Quique harum locus, officium, structuraque, et usus.

BARVLLVS

Oh Vallisnerium novi, novique Macoppen,
Omnia nam trivi medicorum scripta recentum.
At mihi Baglivus valeat, Lancisius, Hophman,
Bellinus, Sideman, Malpighius, et Boeraves:
Una etenim ratio cunctos e corpore morbos
Ejicit, et serum nos sanos reddit in aevum,
Nec via simplicior, nec tutior ulla medendi est,
Quamque Machaonia quondam doctissimus arte
Sangradus tenuit, multoque exercuit usu:
Creber aquae potus, et missio sanguinis.

CRISPUS

Haecne
Cunctos ergo putem morbos expellere?

BARVLLVS

Cunctos.
Te febris urit, aquam bibe, multum emitte cruoris;
Te phthisis angit, aquam bibe, venam tunde frequenter.
Inflat hydrops tibi corpus, aquam bibe, percute venam.

CRISPUS

Pol! nunc me pupugisti; insigne videlicet hoc est?
Venam tundat hydrops?

BARVLLVS

Tundat, tundatque frequenter.

CRISPUS

Hydrops potet aquam ?

BARVLLVS

Potet saepissime , quidni ?

CRISPUS

At Deus incolumem me praestet , et arceat abs te ,
Nae tu lethifer es medicus , mortisque satelles.

BARVLLVS

Ante diem moriere haec si rejeceris.

CRISPUS

Esto
Quod de me placitum Diis , dummodo ne perimas tu.

BARVLLVS

Quid tu Rulle ?

RVLLVS

Mihi medicis non est opus ullis ,
Exosum est mihi aquam bibere , atque incidere venam ,
Excepto quod me occidistis , caetera sanus.

PITOLEON

Ambo desipitis , frustra contenditis ambo ,
Nam nisi quod chymicae tantum dare pharmaca possunt ,
Quattuor humores perfecta in pace quiescunt ,
Mortiferos parit illorum discordia morbos.
Pergamei sic nempe docent praecepta Galeni ,
Sic docet arcana Paracelsus nobilis arte ,
Paginaque Helmonti multo vigilata labore.
Sic. . . .

CRISPUS

At at , an malus es ?

PITOLEON

Cur hoc mihi ?

CRISPUS

Te Paracelsi
Discipulum prodis, magicas qui calluit artes,
Isque sibi, ut perhibent, cacodaemona fecit amicum.

PITOLEON

Ut Sycophanta es tu ! medicos ille optimus inter.

BARULLUS

Tune adeo simplex, ut credas linquere nigrum
Artibus accitos magicis cacodaemonas orcum ?
Has cane fabellas vetulis, puerisque quadrimis :
Nonne ita Rulle ?

RULLUS

Equidem nusquam cacodaemona vidi.

CRISPUS

Quippe hoc est aliud ; sed et id male reris.

BARULLUS

Agamus
Hoc igitur.

CRISPUS

Nequeam modo.

BARULLUS

Cur ?

CRISPUS

Hinc jam mihi eundum,
Sera est hora.

BARULLUS

Tamen paulum remane.

CRISPUS

Amplius haud me
Detineas, expectat equus, conclamat agaso.

BARULLUS

Vade igitur: verum cum saltem veneris urbem,
Si qua aliquid dubium, aut tibi scrupulus incidat in re,
Me tua liberius fac epistola consulat.

CRISPUS

Aequo
Hoc animo peragam dum tempus sic ferat, et res.

PITOLEON

At mihi Aristotelem tantum rogo, Crispe, saluta,
Qui capitolina stat vivo e marmore in aede.

CRISPUS

Iussa quidem faciam, nusquam licet alloquar Hermas.

BARULLUS

Crispe vale.

PITOLEON

Valeas, o Crispe.

CRISPUS

Valete sodales.

RULLUS

Vivus sum, exoso miserum sermone necarant.

INTERLOCUTORES

SULPICIUS, COTTA, AURELIUS, LOLLIUS, VALERIUS, LABERIUS, LENTULUS, RUFILLUS, NOMENTANUS

DIALOGUS

SULPICIUS

Cum vetus, atque ingens studia in contraria mentes
Distrahat, inque dies gliscat discordia longis
Dissidiis, magnoque animorum ferveat aestu,
Cunctaque clamosas referant Gymnasia lites,
Atque acri certet sapientum turba calore:
Cum sibi nil constet, probet hic, quod rejicit ille,
Seque uno gaudens placeat sibi quisque, suoque
Ingenio fidens, aliorum dicta refellat,
Quemque semel peperit foetum, tutetur, ametque:
Cumque hebetes sensus, inclusaque carcere caeco
Iudicio male ducta suo mens debilis erret,
Ingeniumque gravi rerum sub mole fatiscat
Pondere depressum, et tantis conatibus impar:
Hinc me suspensum tenuit sententia dudum,
An quidquam certi tanto sapientia nisu

Proferat in lucem, rerumque arcana recludat,
Omnia vel lateant densis obducta tenebris,
Et jaceant veluti puteo demersa profundo.
At vos (quandoquidem vacui consedimus una),
Si falsum didicistis adhuc secernere vero,
Dicite, quid tandem quaeso sentire tot inter
Iurgia, et ambages rerum iubeatis, amici.
Certe (animi sensum si fas mihi prodere) laudis
Importunus amor, disceptandique libido
Ingenia in pravum flexit, longeque retraxit
A studio veri, sapientumque agmina partes
Distulit in varias: neque enim quos protulit olim
Graecia, magnorum genitrix foecunda virorum,
Nunc fert nostra viros aetas, quos aequus amavit
Iupiter, et laeto respexit lumine Pallas;
Egregias animas, et plenas numine mentes!
Nimirum quam magna, fere et divina loquuti
Pythagoras, Plato, Aristoteles, Democritus, et quos
Ingenio insignes, antiqua Lycea tulerunt!
Quantum Socraticae sapiunt sublimia chartae!
Horum quippe sibi medio sapientia templum
Pectore constituit, docto vel sedit in ore.
Omnia nunc aliter: pugna garrire loquaci,
Cunctaque commentis miscere, obtrudere falsa,
Famam insectari veterum, novitatis amore,
Non ratione regi, tenebrasque offundere veris.
Ingenuae hinc artes, omnique decore carentes
Et misera in pravos detorta scientia sensus
Occuluit caput, et latebris sese abdidit atris.

Nec cuiquam fas est sapientum in vortice tanto,
Aut certum ficto, aut recto secernere iniquum.

COTTA

Te miror, Valeri, non laevo sidere natum
Rancidulum veterum placitis haerere, nihilque
Mirari, nisi temporibus quae dissita nostris
Annorum series, seniumque informe sacravit,
Et damnare recens quidquid produxerit aevum.
Tune igitur graecas tantum venerabere barbas,
Cum tamen eversas vastus tegat horror Athenas,
Inque academia surgant dumeta, vepresque
Arrodant pecudes, doctasque ubi porticus umbras
Explicuit quondam, sulcum nunc findat aratrum?
Nam quae cecropia sapientia floruit urbe,
Transiit in cynicum virus rugasque severas:
Denique in hoc aevum lapsu transmissa perenni,
Pulcrior Europam incessit regina per omnem,
Et plenas diffudit opes. Tunc aemulus ardor
Subdidit illustres generosis mentibus ignes,
Quilibet et doctis admovit acumina chartis,
Adscivit nova natura sublimis, et altum
Ingenio tentavit iter: quin sedulus imis
Eruit e latebris acri molimine mentis
Plurima; sic aevo tandem patuere recenti
Notitiae rerum, penitusque abscondita dudum.
Nam veluti primum caecis educta fodinis
Aurea massa, rudis, nulloque insignis honore,
Artificis tum deinde manu purgatur, et igne,
Puraque flavescit pretiosi forma metalli:

Sic priscis invecta viris incondita quondam,
Nec digesta satis, et adhuc informia sano
Paulatim cultu, longoque labore dolantur.
Aut velut ille prior, qui se committere ponto
Ausus, et externas fragili rate quaerere terras,
Attamen haud patriis multum secessit ab oris,
Nec longum suscepit iter; fidentior inde
Oceani immensos percurrens navita tractus,
Turgidaque horrisonis intendens carbasa ventis,
Haud saevos timuit fluctus, atramque procellam,
Ignotasque plagas, alioque sub orbe repostos
Invisit populos vicino sole perustos,
Et varios hominum mores, et barbara regna;
Ingentesque reversus opes avexit, et aurum,
Totque ferebantur quae vulgi incerta per ora,
Inspexitque oculis, et certus rettulit auctor;
Sic aciem primum qui trusit in intima rerum
Ingenio sollers aggressus acumine caecas
Naturae latebras, primasque exquirere caussas,
Scilicet haud subito tantas evolvere moles,
Totque per immensos potuit transcurrere tractus.
Assiduo tandem nisu doctoque labore,
Ignorata diu, magno ceu pariete rupto,
Et patuere palam, puroque in lumine rerum
Multarum series, variusque apparuit ordo,
Quae dura sub nocte inscitia longa premebat.

SULPICIUS

Si mihi iamdudum mens haud incerta fuisset,
Vestra quidem incertam discordia redderet.

LABERIUS

Ohe

Fas proferre mihi quod sentio ?

SULPICIUS

Fas, age, profer.

VALERIUS

Dic equidem, Laberi, mihi suffragabere porro.

COTTA

Dic sane, accedes siquidem mihi fautor, opinor

LABERIUS

Haud vos detineam, dabitur sententia paucis,
Tu laudas, Valeri, veteres, tu Cotta, recentes :
Ast ego nec, Valeri, veteres, nec, Cotta, recentes.

SULPICIUS

Durus quippe nimis, nimiumque injurius, omnes
Protinus incusans uno confundis acervo.

LABERIUS

Cur ita sed sodes audi : si forte viator
Haereat in bivio, via nescius utra duarum
Ducat eo quo tendit ; adhuc diversa tuenti,
Cunctantique diu occurrant duo : protinus oret,
Tutior edoceant quae semita provehat illuc.
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum iter arripe dicant.
Tum magnam inter eos super hoc ignescere rixam ;
Primo equidem verbis insurgere, mox quoque pugnis,
Inde etiam erectis baculis ; quid quaeso ageres tu?
Non magis haereres, aut non incertior esses,
Quam fueris si nemo viam monstraverit ante?
Sic equidem reor, et quo te sors duceret, ires.

Sic haerens rerum in bivio, percunctor eundum
Qua sit, ut ad verum securo tramite ducar,
Hac ajunt veteres, non illac perge recentes,
Dissidio insurgunt magno, pugnisque lacessunt,
Et baculis, nisi eos longum disterminet aevum.
Sic anceps, dubiusque, modo huc, modo distrahor illuc,
Et feror incertus, quo caeca me opinio ducit.

AURELIUS

Te Laberi (si forte loqui licet et mihi quidquam)
Sat lepide, ceu nempe soles, dixisse fatebor.
Ast aliam prorsus dederunt mihi Numina mentem,
Omnes quippe colo veteres simul atque recentes,
Ingenioque viros, divino et lumine mentes
Insignes, equidem laus est sua cuilibet, illis
Quod prius aggressi nimis ardua, et invia quondam
Ignotam stravere viam felicibus ausis;
His opus incoeptum quod perfecere, rudisque
Si quid adhuc invenere, omni ex parte dolarunt.

SULPICIUS

Et sapis, Aureli, prudens atque omnia sano
Iudicio expendens sua tradins praemia cuique.

LABERIUS

Attamen hoc unum quaero: his felicibus ausis
Tot, tantisque, tenent quod quaesivere per aevum
Immensum nisu assiduo, summoque labore?
Haud equidem, veterique latent caligine cuncta;
Immo etiam tanta rerum farragine, tantis,
Et tot mens placitis distracta hinc inde, magisque
Haeret in ancipiti, et majori offunditur umbra:

Nam quid tam certum huic fuerit, fixumve, quod illi
Sit fixum, certumve, nec indubium vocet idem?

AURELIUS

At sic ancipiti libratum lance, diuque
Excussum dubiis, rigidoque examine rerum
Purius apparet.

LABERIUS

Ratione videlicet ista
Cognitio rerum, et quaerenda scientia veri
Aeternis dubiis. Aliud sed quaeso quid hoc est,
Quam soli obscuram rutilanti offundere noctem?
Ambigitur quid enim? Sit utrum res ulla, vel utrum
Corpora subsistant, quamvis oculisque videmus,
Palpamusque manu, utrum tandem simus et ipsi
Seu potius versemur adhuc errore perenni,
Et semper fallax nos rerum illudat imago.
O rem ridiculam, o nugas! sapientia nempe
Haec fuerit, vel lemniscata insania mentis?

VALERIUS

Parcius ista viris tamen objicienda memento,
Divinos omnis quos est venerata vetustas.

COTTA

Cautius ista tamen sapientibus objice nostris
Quos dedit excelso nobis pro munere coelum.

LABERIUS

Nec veteres, Valeri, laudo, nec, Cotta, recentes.

SULPICIUS

O mentes hominum, quantum in diversa feruntur!

LENTULUS

Quid frustra sermone vago contenditis omnes,
Dum facilis vestras possit componere lites
In partes satis apta suas partitio rerum?
Omnia quippe simul sermone includitis uno,
Olla una veluti qui multa obsonia miscet.
Ast ego sat memini quae me dialectica quondam
Admonuit puerum: partiri in singula totum,
Ponere quaeque loco recta ratione, modoque,
Eque vago genere, ad species descendere certas.
Scilicet haud rebus natura est omnibus una.
Iudicio sapiens veluti cribret omnia sano
Audi: hoc ajo, hoc non, placet hoc, et displicet illud,
Atque album nigro secernit, et aera lupinis.
Sic agite, inque suas sic res distinguite classes:
Multa etenim veteres novere, incognita nostris,
Multa etiam nostri priscis incognita norunt:
Pluribus atque itidem nostrum vetus anteit aevum,
Pluribus et contra nostra haec supereminet aetas.

LABERIUS

Singula vis me igitur partiri? en partior ultro,
Ne indignere, suum nam quisquis habebit honorem.
Gloria Graecorum sunt marmora, et aerea signa,
Gloria Graecorum sunt cestus, et uncta palaestra,
Sunt et fabellae, sunt et mendacia mille,
Quaeque implent vatum lasciva poemata nugae.

VALERIUS

Tantumne haec? quonam graecae facundia linguae?

LABERIUS

Novi hic inflatis homines turgescere buccis ,
Novi oratores , peperit quos Graecia , dictos
Tela , ignes , fluvios, fulgetra, tonitrua, nimbos,
Fulmina , sique aliud tandem sit fulmine pejus.
Qui tamen ista legunt usquam nec tela , nec ignes ,
Nec fluvios reperire queunt, nec fulmina tandem.

VALERIUS

Quid celebris toto veterum sapientia mundo ?

LABERIUS

Scilicet haec fuerit veterum sapientia , tristi
Cuncta supercilio , et naso suspendere adunco
Et rugam frontis crispare , et pascere barbam ,
Cuncta aspernari, insano turgescere fastu
Quoslibet impetere , et morsu lacerare canino ,
Exuere humanos sensus ut inertia saxa ,
Neve voluptatis tangi , sensuve doloris :
Vasa, aurum , gemmas , tunicas , et commoda vitae
Projicere in pelagus, se in dolia trudere, et illic
Vivere, praecipitem saxo se mittere ab alto ,
Figere se ferro , et placide sorbere cicutam.
Et velit hos quisquam sapientes dicere sanus ?

VALERIUS

Quid tandem integritas vitae moresque severi?

LABERIUS.

Hic tamen , oro , tace , occurrent dicenda, tacenda.

COTTA

Euge facis mecum , Laberi, jam palma recentum est.

LABERIUS

Sed nondum paeana canas.

COTTA

Quibus hos quoque culpes ?

LABERIUS

Divisionis adhuc superest pars altera.

COTTA

Nempe ?

LABERIUS

Scilicet humanae vesana licentia mentis
Implet multiplici centenas dogmate chartas ,
Atque geometricis dum legibus omnia librat ,
Et sacra pessumdat , divumque oracula ridet ,
Metiri divina suo modulo , et pede tentans ,
Et nisi quae ratio sibi suaserit , haud tenet ultra ,
Vel numen supra se dedignata fateri.

SULPICIUS

Mixta acri misces , Laberi , convicia felle ,
Parce probris , placidisque juvet sermonibus uti.

LABERIUS

Et tu parce etiam, mos hic mihi semper inhaesit ;
Nempe lacessitus, linguae contendere telo
A puero didici.

SULPICIUS

Vitium hoc tamen excute sodes.

LABERIUS

Nescio an hoc vitium fuerit , virtusve profecto:
Quid faciam ? paullo sum nempe dicacior , unus
Multorum.

SULPICIUS

At cohibe.

LABERIUS

Experiar, tu fare, tacebo.

SULPICIUS

Multa equidem casuve, aut desuetudine longa,
Desidiave hominum, rerum vice, tempore iniquo,
Notitiae rerum periere, idiomata, et artes,
Graecia quas habuit, Aegyptus, Etruria quondam.
Utilia at demum, praeclaraque multa recentes,
Anglia quos peperit, quos Gallica, et Itala tellus
Invexere: etenim nemo inficiabitur unus,
Doctrinas, artesque inventis pluribus auctas,
Plura mathematicos, physicosque, et plurima nautas
Noscere, at astrologos, medicosque, incognita quondam
Multa tamen neque adhuc satis his perspecta, neque illis
Ceu motus, gravitas, color, atque electrica virtus,
Et quorum ignotas fas nulli attingere caussas.

LOLLIUS

Haec facile tribuam, Sulpici, atque omnia laudo,
Sanus enim loqueris, scitusque; sed insuper unum
Si lubet, hoc addam, quod tute fatebere verum.

SULPICIUS

At quid id est?

LOLLIUS

Quaedam sunt quae feliciter olim
Orsa vetus, nostra absolvit felicius aetas.

SULPICIUS

Haec ultro dederim, quid vero?

LOLLIUS

Sed omnibus unum
Praestat.

SULPICIUS

Et id quaeso.

LOLLIUS

Sane unum.

SULPICIUS

At denique profer.

LOLLIUS

Quae nempe astrorum , coelique scientia motus
Designat , solisque , planetarumque recursus.
Et bene , nimirum quaenam sublimior unquam ,
Quaeque hominem deceat mage res , quam noscere certis
(Mirum opus!) astrorum revolutos motibus orbes ,
Quaeque Deus summa coeli in regione locavit ?

LABERIUS

Audiam et hoc ?

VALERIUS

Scis hoc veteres excellere.

COTTA

Porro
Quidquid in hoc certi est, id perfecere recentes.

LABERIUS

Ardua res sane obmutescere posse dicacem.

AURELIUS

Difficile omnino , nimiumque videlicet altum
Mens hominum tentavit iter.

SULPICIUS

Sed si mihi quidquam
Incertum , haec equidem reor incertissima , Lolli.

LENTULUS

Si tamen excipias ratio quae evincit , et usus.

LOLLIUS

Dicam equidem. Assirii primum, (haud incognita fabor)
Quosque aluit Chaldaea sophos , Aegyptus , et omnis
Ferme oriens , toto coeperunt sidera coelo
Metiri , occasusque horum deprehendere et ortus :
Aereas tentasse domos , animoque rotundum
Percurrisse polum , coeptis audacibus orsi.
Quin etiam sortes investigasse futuras ,
Et rerum arcanam doctrinam habuisse feruntur ,
Gentibus hoc studio nam nil communius illis.
Post ubi doctrinae ad navos venere pelasgos ,
Omnis et in mediis sapientia sedit Athenis ,
Quid memorem Hipparchum, Eudoxum, doctumque Methona,
Insignem quem fert inventi gloria Cycli ?
Quid maris , et terrae, numeroque carentis arenae
Mensorem Architam , et mentes coelestibus olim
Instructas rebus ?

LABERIUS

Linguae tentigine rumpor.

LOLLIUS

Neve manum extremam egregiis qui imponeret ausis
Defuerit nati Cassinius, et Galilaeus ,
Keplerusque , Tychon , sollersque Copernicus, et qui
Detexere novos motus , et sidera coelo ,

Nullaque fatalis serpit jam caudà cometae,
Quam non deprendant subito, cursumque sequantur,
Neu satis apta operi forte instrumenta deessent,
Inventus mira magnum qui fingeret arte,
Praelongumque tubum praefixo hinc, indeque vitro,
Quemque Telescopion graece dixere recentes,
Quo lunam, atque alios exploravere planetas,
Admoruntque oculis distantia sidera nostris.
Quin etiam vigili suspensa dioptra tigillo,
Lineolisque quadrans gradibus, signisque notatus,
Comperit ut quovis a sidere distet horizon,
Idque parallaxin externa voce vocarunt.
Hinc coeli inspector fixis obtutibus haerens,
Signat Ephemerides, et digerit ordine certo,
Astrorumque Phases deprendit; vidimus orbem
Ceu veneris nuper solis transcurrere discum.
Est quoque qui niteat quodnam natalibus astrum
Sedulus exploret, tandemque horoscope fixo
Cujusquam exploret genesim, quo noscere possit
Ingenium, mores, et quem mihi, quem tibi finem
Dii dederint, Saturnus iners, quid Iupiter, aut Mars
Phoebus, Luna, Venus portendat, Mercuriusve,
Et quae Zodiaci signant animalia zonam.

LABERIUS

Undè cucurbitula haec?

LOLLIUS

Nam nostra reguntur ab astris
Corpora, et accipiunt vivendi habitumque, modumque,
Et semper partus coelestia signa sequuntur

Rutilius, Cardanus in hac excelluit arte,
Regiomontanus, Spondanusque, Argoliusque,
Hisque parumper ego, si fas dixisse, fatebor
Impendisse, nec incassum insumpsisse labores.
Quod si scrutari natalia sidera detur,
Quae maneant quemcunque vices, fortunave rerum
Dicere polliceor, casusque aperire futuros.

LABERIUS

Tun' sanus?

SULPICIUS

Cohibe, Laberi, promissaque serves.

LABERIUS

Vis me disrumpi?

SULPICIUS

Sed fare decentius.

LABERIUS

Olim

(Ne dubita, fabor, mihi crede, decentius) olim
Graecus erat sapiens, patulo qui sidera coelo
Dum forte inspectans obtutu fixus in uno
Observatque, haeretque oculis, dumque inscius amens
Progreditur per iter conversus ad aethera vultum,
Incidit in foveam infelix: sapientia forsan
Occipite erupto in tenues effluxerit auras,
Ni cito chirurgus miserum ceromate vulnus
Impacto obdiderit: sed forte anus affuit illic,
Et casum miserans, tremula sic voce loquuta est:
O miser, immenso inspiciens qui dissita tractu,

Ante pedes foveam non videris. Hoc tibi dico ·
Ingenium, moresque aliorum inquiris in astris,
Atque latet propior tua te dementia. Dixi,
Et satis urbane dixisse fateberis ipse,
Sulpici.

SULPICIUS

Haec si urbana vocas, quae rustica quaeso?
Attamen hic, Lolli, miser est labor.

VALERIUS

Ista nec ausim
Dicere vel veteres sat nosse.

COTTA

At neve recentes.

LENTULUS

Haud me fautorem dederim tibi.

AURELIUS

Ridiculum te,
Sic facis?

RUFILLUS

Infelix studium hoc, et inutile, saltem
Utilibus curas impendas. En ego, Lolli,
Me sectare ducem, linques jam scruta, brevique
Ditesces·

SULPICIUS

Ita ne?

VALERIUS

Hocne putem?

COTTA

Nugaris?

LABERIUS

Ain' tu ?

AURELIUS

Ast agis ex animo?

LENTULUS

Num vero?

LOLLIUS

Hoc serius inquis ?

RVFILLUS

Quid frustra ambigitis? Loquimur nam vera, sed altum
Condimus arcano secretum pectore ; nulli
Pandimus haec, tacitis sed quae celentur amicis.

SULPICIUS

Dic.

VALERIUS

Loquere.

COTTA

Haud taceas.

LABERIUS

Age.

AURELIUS

Fare.

LENTVLVS

Edissere.

LOLLIUS

Profer.

RVFILLUS

Ars mihi magna patet, potiusque scientia, paucis
Nota, quibus dedit hoc divum pater, atque hominum rex,

Et quam Gebberio didici, Lulloque magistro.
Haec quidquid terrae, naturaque, solque sub imis
Visceribus peragit, vi perficit ignis, et arte.
Nimirum haec veterem felici sorte metallis
Naturam eripiens, dat prodiga nobiliorem,
Quin pretioque auget, meliori et imagine vestit.
Candorem argenti purum flavescere in aurum,
Aeraque in argentum paulatim albescere cernes.
Hic ego succensis avide fornacibus inflo
Explodens tumidas buccas, oculosque fideles
Intendens operi, secreti in parte cubicli
Interiore latens, ne forte incredula vecors
Turba opus illudat quod nescit, et improba temnat.
Unicus hic furnus, vas unicum, et unicus ignis,
Ceu praecepta docent, medicas distillat et herbas,
Aurumque et minimo contritas pulvere gemmas,
Nempe opportunis vegetantia mixta metallis.
Sic studio summo paulatim opus ordior ingens,
Reddere et incolumem vitam, morbisque mederi
Omnibus, aeternumque potens dare tempus in aevum
Pharmacon immortale, salutiferam et Panacaeam.

LOLLIUS

Me miseret, Rufille, tui, quod flore juventae,
Infelix! media putruit tibi mente salillum,
Tam cito, proh.... tu consilio tamen utere sano.
I, pete quos fatuos flavi prope Tibridis undam
Inclusos tenet ampla domus, jejunia longa
Vulnera queis cerebri curant, baculusque salubris.

SULPICIUS

Scommate nunc acri, Laberi, nunc utere sanna;
Nam quis tam patiens, tam ferreus ut teneat se?
At vos, o juvenes, ne quaerite quaeso doceri
Stultitiam, quam caeca auri commenta libido est,
Quamque Alcymiam dixerunt et Chrysopoejam.

COTTA

Ah! Alchymiam sat novimus, et Chrysopoejam.

VALERIUS

Artem ridiculam!

AURELIUS

Insanae deliria mentis!

LENTULUS

Infantum nugas!

LOLLIUS

Avidi spem cordis inanem!

RUFILIUS

Ridetis? paulisper adhuc: pars maxima porro
Hactenus effecta est: fortasse videbitis ipsi,
Cum subito dives, curruque superbus ab alto
Vos ego dimidio vix vix dignabor ocello
Turbidus, aut summum jubeam salvere pedestres.
Sic ego tum vestrae ulciscar convicia linguae.

LABERIUS

Haud tua curari patitur dementia: de te
Actum, Rufille, huic desunt medicamina morbo.

SULPICIUS

O curas hominum, o quantum est in rebus inane!
Pharmaca quid prosunt, radix, fornacula, et herbae,

Si sua quemque manet non eluctabilis hora,
Et si mortalem effinxit vis illa creatrix
Vi nulla fiet, nulla mortalis et arte.

VALERIUS

Nec quidquid nulla natura imitabilis arte
Efficit, efficiet hominum labor, ingeniumque.

COTTA

O stulti aurifices, vobis inscitia porro
Principium, medium labor est, et finis egestas!

LABERIUS

O miseri, infelix, et inutile ducitis aevum
Solliciti circum foculos a luce remoti!

AVRELIVS

Hi fucum fecere sibi, captique priores
Arte sua mox fuco aliis illudere certant.

LENTVLVS

Pulveris exigui jactu miracula spondent
In tetros quibus ampla volant patrimonia fumos.

LOLLIUS

Hi velut arcanis celantes mystica cistis,
Ludibrium puerorum, et vulgi fabula fiunt.

LABERIUS

Quid tu isthic truncique, aut magni stipitis instar,
Nomentane, taces? tibi quae sententia menti,
Quidni aperis?

NOMENTANVS

Per me blaterent in saecula mille,
Sic moveor, veluti citharae dulcedine surdus.

SULPICIUS

Ingenuas igitur fastidis Palladis artes?

NOMENTANUS

Acriter hae vexant animos; ipse otia quaero.

COTTA

Doctrinae rerum sed enim sunt pabula mentis.

NOMENTANUS

Esurit haud mihi mens, satis est mihi pascere ventrem.

AURELIUS

Tamne igitur vecors? Neque enim tibi plurima dulce est
Noscere?

NOMENTANUS

Nequaquam.

LOLLIUS

Nec quae coelestia monstrant
Sidera?

NOMENTANUS

Nequaquam.

RUFILLVS

Magnae nec amaveris artis
Mystica?

NOMENTANVS

Nequaquam audistis?

VALERIUS

Praeclara Minervae
Munera num renues?

NOMENTANVS

His scilicet otia perdant,
Quorum gloriolae pertentat bractea pectus.

Non ita prorsus ego, cerebro mihi sospite; nam dum
Haeserit una salis capiti semuncia sano,
Balsamini calices Bacchi sorbere frequentes,
Et convivari, et thalamo me expandere malim,
Quam pallere libris, studioque macrescere inani.

LENTVLVS

Palladis et nunquam tetigisti limina prima?

NOMENTANVS

Certe, ego (ut a primo rem protinus ordiar ovo)
Orbilio coepi sub praeceptore doceri
Queiscunque institui puerili aetate solemus;
Et multa cum laude, tribus nam circitrr annis,
Callebam leges, et prima elementa legendi,
Et quot litterulis constaret syllaba: namque
Haud me infelici donarat acumine Pallas,
Ingeniove rudi. Tum binis insuper annis,
Plusve, minusve meum edidici conscribere nomen:
Progrediebar adhuc: at vero impingeret asper
Cum mihi praeceptor colaphos, alapasque frequentes,
Haud res visa ferenda diu; patientia tandem
Elapsa, et cristae mihi surrexere: tabellam
Elatam impegi, rupique in fronte magistri.
Sic ego litterulas, doctasque valere palestras,
Orbiliumque meum jussi, partesque Minervae
Deserui, atque arcto junxi me foedere Baccho.

COTTA

Egregium facinus!

LENTVLVS

Rem magnam!

LABERIUS

Opus hercule dignum !

SULPICIUS

Nunc tibi quae ratio est vitae ?

NOMENTANVS

Certe optima.

SULPICIUS

Nempe ?

NOMENTANVS

Sulpici, video, te aliena negotia tangunt;
Sed tibi in hoc etiam faciam satis : accipe. Mane
Ad multam lucem jaceo, tum denique surgo.
Interea Lupus ecce supervenit, et Philodemus
Laeti convivae, derisoresque faceti.
Colloquimur : jubeo afferri jentacula : velox
Cum farciminibus, cum panibus, oenophoroque
Servus adest, hilares jentamus, et inter amicos
Tunc edere, et vini calices sorbere frequentes,
Et laetos miscere jocos, salsosque lepores.
Tandem abeunt : moror ipse domi, caramque culinam
Invisens, ollas, et protinus omnia lustro;
Et manibus condire meis embammate dulci,
Nectareisque juvat conspergere fercula succis.

LENTVLVS

Hanc igitur calles artem ?

NOMENTANUS

Oh si, Lentule, quondam,
Si condita meis gustaris edulia succis,

Delicias ! equidem postquam enudaveris ossa ,
Saepius immundis patinis , vacuoque catino
Iura ligurieris ; digitosque exsuxeris unctos.

COTTA

Haec dum tam sapide , tanta et prurigine profers ,
Porro dapes avido trepidant tibi gutture.

NOMENTANVS

Tandem
Pransum eo , lautus edo , plenoque abdomine surgo ,
Et bene potus eo dormitum, tresque per horas
Tunc recubo , fessoque impertior otia ventri.
Inde domo egredior , lentoque deambulo gressu ,
Sive suburbanos colles , plateamve pererro.
Occurrunt comites : aliquo concedimus una
Secreti a reliquis. Conditum olus , atque placenta
Ponitur ex ovis , et fricta jecuscula : verum
Praecipua haec cura est ne vini copia desit ;
Elapsoque die , lusum itur , et inter amicos
Luditur ad multam noctem. Hinc coenamus opime
Convivatores soliti Lupus et Philodemus ,
Plenaque certatim potamus cymbia Bacchi.
Tandem dormitum , capitis compage soluta ,
Et pedibus titubans pergo : tum protinus altus
Amplius undenis corpus sopor occupat horis.

SULPICIUS

Nempe tibi vitae ratio haec ?

NOMENTANVS

Haec scilicet.

SULPICIUS

Atqui

Te merito dicent Epicuri de grege porcum.

NOMENTANUS

Dicant quippe, sinantque meo me vivere more.

LABERIUS

Ast unum miror; dic, Nomentane, nec usquam
Disruptus tibi venter adhuc?

NOMENTANUS

Hanc Dii tibi sortem
Spero equidem servent. At at.. in mentem venit..

SULPICIUS

Ecquid?

NOMENTANUS

Ne faciant superi...

COTTA

Quid tandem triste?

NOMENTANVS

Mehercle,
Si hoc fuerit perii...

VALERIUS

Dic Nomentane.

NOMENTANVS

Parari
Ferculum ego jussi mihi jucundum, et Iove dignum,
Et mea quod miro titillet guttura sensu.

AURELIUS

Quid tamen inde mali?

LOLLIUS

Quidve inde tibi trepidat cor ?

NOMENTANUS

Ocyus hinc comites me proripio : vereor ne
Contrahat aut fumi nidorem , aut haereat ollae.

LOLLIUS

Si salvum , me quaeso voces tecum.

LENTULUS

Atque etiam me.

RUFILLVS

Me quoque.

NOMENTANUS

Ne, quaeso, dudum retinete , vocabo.

DE MODICARUM URBIUM INCOMMODIS

SERMO

Hoc erat in votis , hoc dudum magna precabar
Numina , ut hic iterum vestros invisere vultus ,
Utque iterum sinerent vestras audire Camoenas:
Dii fecere , bene est : Tuque , o dignissime Custos ,
Et Pater Arcadiae , pacato tu excipe vultu
Ad tua nunc tandem redeuntem jura Poetam ,
Vosque manu timidum sacra ad penetralia rursum
Ducite , Musarum Vos rursum sistite Templo
Arcades , et faciles veniam impetrate petenti.
Non ego deserui , turpis ceu transfuga , dulces
Arcadiae fines , sacras et Apollinis Aedes :
Nam mihi quid vestro fuerit jucundius ore ,
Vel quid amabilius vestri dulcedine cantus ?
Verum quid facerem? consuta e muribus albis
Sacra Chlamys , conclusa diu , tineisque relicta ,
Res neglecta domi , praesertim cura parentum
Importuna nimis , et epistola missa frequenter
Saepe reluctantem patriam revocabat ad Urbem.
Hinc tandem excessi invitus , Laribusque paternis
Redditus , huc animo tendebam , et denique rebus
Compositis , velut optabam , vinclisque solutus ,
Sedibus è patriis , quae me diu abesse vetabant ,

Rursum ad vos redii , vestris et denique rursum
Caetibus assideo , non amplius advena , et hospes ,
Sed si fata sinent, magnae novus incola Romae.
Hic admissus ego vestra ad Consortia Vates
Laetus agam vicibus versis , et quam mihi sortem
Seu ratio dederit, seu fors objecerit , illa
Contentus vivam : mecum si turba meorum
Non erit hic , eritis mecum vos , qui rude sano
Excolere ingenium cultu , et formare potestis.
Hic studia , hic artes omnes , hic commoda vitae
Usque nova hic decora , et Regni monumenta vetusti.
Nunc igitur grates iterumque, iterumque rependam
Di , vobis , parva quod me extraxistis ab Urbe.
Nimirum quis parvae incommoda computet Urbis ?
Quis curas hominum , quis turbidum , et irrequietum
Ingenium , mentesque inopes , animasque pusillas ?
Quisve cor ambiguum , nec rerum judicia aequa ?
Quis linguae jaculum memoret? Si namque December ,
Ignavi ad foculum, capitis compage soluta,
Dormitare diem totum , inclusive Tabernis
Ludere rixantes , cyathosque haurire frequenter ,
Sextilis si Mensis adest , ad frigus opacum
Discincti , tacitique trabem , saxumve fovere
Ad multas horas longa otia ducere , tricas
Aut miscere leves, aliena exquirere facta ,
Atque onerare probris , trutinaque expendere iniqua ,
Quod vitium generis cuique est , quo quis Patre natus ,
Mater amica quibus fuerit , quo quisque notatus
Crimine , cujusquam quae sint patrimonia , mores ,

Ingenium: Multi est ille aeris Debitor: aurum
Foenerat hic turpi quaestu; vae cuilibet illac
Praeterit; immunis nemo est a vulnere linguae.
Si breve palliolum, rejèctum ex more retrorsum
Ex humeris pendet, parent si candida lina,
Descendunt et ad usque manus crispata, vel albo
Injussus Tonsor conspersit pulvere crines,
Transversi aspiciunt, furtivo et murmure mussant:
Dedecus oh! juvenem muliebri incidere cultu,
Narcissi ut speciem praeseferat, et Ganymedis,
Et se dilectae comptum commendet Amicae:
Sique notans horas aurum, si argentea theca
Promitur, ut dentur vitioso pabula naso,
Protinus aversi exclamant: quid inutilis isthaec
Pompa? quid hi luxus? ast illum novimus: assem
Haud facile inveniet loculos scrutatus inanes,
Quis scit, an aurifici pretium persolverit? unum
Hoc scio, quod dudum, et multos frustatus in annos
Creditor expectat Lupus, expectabit et usque,
Et male aget, nisi forte sibi aera aliunde petantur.
Si quando occiduum vergit Sol pronus in aequor,
Et vespertinae respirant leniter aurae,
Quae valeant magnos sextili mense calores
Solari, lento per aprica suburbia gressu
Incomitatus eas, ubi perflat apertior aer,
Et virides praebent herbosa sedilia campi,
Interea quid forte legens. Hem! cernitis? ajunt,
Quippe palam legit ille, legensque perambulat: oh rem

Ridiculam ! quid enim sibi vult ? doctusne videri ?
Haec siquidem ignaro vendat mendacia vulgo ;
Nimirum haud facile est hac arte illudere nobis
Nariaus emunctis , sub eodemque aethere natis ;
Scimus enim ut nugas tantum sectetur ineptas
Doctrina vacuus , solidae virtutis et expers.
Quisve ait haec ? aut venter iners , aut amphora vini ,
Qui vix litterulas, vix prima elementa legendi ,
Et nusquam didicit conjungere nomina verbis.
Quod si aliquid laete dictum , ut saepe assolet , aut si
Non satis ancipiti librata in lance jocosos
Libera sermones inter vox excidit ore ,
Corrugant rigidi nasum : scelus , heu, scelus ! horrent
Quippe parum castis aversae vocibus aures :
Hinc apage , hinc hominem qui turpia verba profano
Ore vomit , puros et corrumpentia mores.
Ast aliud genus est hominum , qui quamlibet arcta
Paupertate domi vivant , pascuntur inani
Ambitione tamen , dedignanturque minori
Conditione homines , mediaque e gente , nec albo
Conscriptos Patrum , titulis macraque superbi
Nobilitate , latus nequis dextrum occupet illis ,
Ire sinistrorsum (sacer est locus ille) necesse est.
Quod si forte simul coeant expendere rerum
Consilia , acciti ad sonitum rauci aeris , ut una
Sic res communi tractetur publica voto ,
Sive novos propter quaerenda pecunia sumptus ,
Imponi populo seu vectigalia debent ,
Magno sollicitos motu trepidare videres

Turmatim cogi , et garrire ; sed unicus hic est
Exitus , ut pacto pretio suffragia vendant ,
Et sic privatae cedat res publica : verum
Siquis patricia quadrimestrem extractus ab Urna
Forte Magistratum obtineat , ceu follis , inani
Imperio , titulisque tumens et imagine regni ,
Indutus longaque coma , trabeaque per Urbem
Incedit , rigido despectat et omnia vultu ;
Sed trepidat circa rerum tenuissima quaeque
Maximus in minimis , semperque et totus in illis.
Verum praecipua haec est cura , Salarius aptis
Ut sibi temporibus farcimina deferat , utque
Testiculi Agnorum , et solito sibi munere pisces
Obveniant ; nusquam violanda videlicet haec sunt
Jura Magistratus , nil refert caetera frangi ,
Nil si tanta nequit jam vectigalia pauper
Ferre , gemitque gravi sub pondere , ut unus et alter
Communes referat propria in marsupia nummos,
Atque ut inexpleto det ventri pabula ; nil si
Cuncta in deterius sus deque inversa feruntur.
Quid memorem Cives inter discordia quantum
Aestuet , et quantum foveant in corde venenum?
Ille graves inimicitias exercet aperta
Fronte , sub arcanum premit hic odia aspera pectus
Laetus quisque inimicum oculi si perderet ictu.
Sic ni propitio fortuna arriserit ore
Invidia reliqui pereunt , oculisque malignis
Inspiciunt : vere fortunae filius hic est :
Tam subito emersit vili de stercore , verum

Ditior is specie, quam re: mihi praescia mens est,
Ille brevi in veteres recidet, mihi credite, sordes,
Res etenim non tuta malo ditescere quaestu.
Quid memorem fictae frontis mendacia? risum
Disponunt labiis, et calliditate dolosa
Blanditiis simulata linunt et subdola verba:
Quod latet arcanum corde expiscantur ab imo,
Et mox in plateas acri cum scommate vulgant.
Nec satis est placide ut vivas, tibi vivere, cunctis
Semotum a curis; subjectior in diem, et horam
Invidiae saevo semper lacerabere morsu.
Insuper ignari rerum quadrata rotundis
Miscent, judicioque expendunt omnia laevo,
Haerentque in minimis, titubantes, suspiciosi
Neu quid pollentes usu, nec jure, nec aequo.
Ast unum super hoc referam: ridete, sodales,
Noscite et hinc homines, neu quid dubii subeat, rem
Hisce oculis egomet vidi: Urbem forte Viator
Ingressus, lustransque oculis quaeque obvia lento
Per fora, per plateas ibat gressu, velut est mos,
Saepe etiam hoc quid, et hoc aliquem scitatus. In illum
Extemplo conversi omnes, hominem trutitantur,
Vertice et a summo talos speculantur ad imos
Nimirum ingenuus non illi aspectus, in ore
Nescio quid pravi est, quaerit, transversa tuetur,
Ambiguum loquitur; timidusque perambulat! aut fur
Aut explorator latet illic: serpit in omnes
Tum mala suspicio: lictori edicitur, ultro
Advenam ut exquirat, audax agit omnia lictor.

Quis tu ? quoque loco natus ? tunc ille : quid ad te?
Advena sum ; satis hoc, ultra tibi quaerere nec jus
Nec fas : eripe te hinc : min' tu istud ais ? tibi cur non?
Lictor sum ; magis hoc temnendus ; non ego inultus
Temnor : lictoris majestas laesa: quid ergo ?
Comprensum subito claudentes carcere caeco
Emungunt misero loculos nec tale merenti ;
Mox calce in posticum inflicto extruditur urbe.
Judicioque brevi nullo data crimine poena est ;
Quomodo res illic et qua ratione modoque
Jura ministrentur vobis hinc discere fas est.
Ridicula at prorsus res est, et digna Cachinnis,
Cum saepe invita quis agit loquiturque Minerva,
Et simulat mores sibi quos natura negavit :
Hic gravis ampullas, et sexquipedalia verba
Projicit, eructans oracula ut alter Apollo
Nec nisi grande sonat : contra stultissimus ille
Vibrat sigma frequens, et presso sibilat ore,
Eliquat et molli distillans verba palato,
Inque alios torquet ridenda vocabula sensus.
Alter apud vulgus videatur ut aulicus esse,
Quidquid per totam geritur vel dicitur Urbem
Vera et ficta simul bibula Praetoris in aure
Deponit, phalerisque ornat, sapidisque cavillis ;
Fucatas inter species sic vivitur illic.
At quisquis novit secernere ab aere Lupinos
Nec facile rerum vanis illuditur, aegre
Praefocat vitream secreto in pectore bilem.
Oh miseri nimium nati nimium sub iniquo

Sidere, queis modica nasci contingit in urbe!
Credo etenim modicas Urbes, atque oppida Majo
Mense vel Octobri tantum visenda, ut apricum
Aera respires aliquando: diutius illic
Vivere, supplicium est; illic, quos Juppiter aequo
Nascentes nusquam respexit lumine, vivant:
Non ego, divino cui fervet Apolline pectus,
Stare loco impatiens semper religatus in uno,
Ingenuus, liber, genialibus aptus amicis,
Praecipue laetus, nisi quando exhausta crumena est.

DE LAUDIBUS PIRORUM

ELEGIA

Non ego carminibus saevi discrimina Martis,
　　Arma nec hostili sanguine tincta canam.
Misceat horribiles procul hinc discordia clades,
　　Hinc procul indomitus bella Borussus agat.
Pectora sunt illis triplici circumdata ferro,
　　Ingenium superi molle dedere mihi.
Haud gaudet mea Musa fero clangore tubarum,
　　Pangere vult tenui carmina blanda lyra.
Ergo adsis, Vertumne pater, Pomonaque felix,
　　Dum tua dona cano, tu mihi laeta fave.
Et vos hortorum placidissima Numina Nymphae,
　　Vos mihi pacifica cingite fronde comas.
Dulcia poma diu mihi vos servate faventes,
　　Vos facite ut caris perfruar usque piris.
Hunc cerasa, et ficus, uvaeque et persica mala,
　　Illum castaneae, pruna, nucesque juvent,
Deliciasque suas habeat sibi quisque, voluptas
　　Si sua quemque trahit, me pira sola trahunt.
Stat mihi nunc vestras ad sidera tollere laudes,
　　O pira, dulcis amor, deliciaeque meae!
O superum apponi mensis dignissima Divum,
　　Et pretiosa magis nectare, et ambrosia!

Succrescit nostris quid inutilis arbor in hortis,
Fructiferumque frequens occupat umbra solum,
Vel quid acerba fera pendent ex arbore poma,
Et pariunt fructus aspera mala rudes?
Eja igitur plantas, olitor, succide malignas,
Succisisque bonas insere deinde piros.
Nomina mille piris, formaeque, et mille sapores,
Spinea seu potius, seu decumana velis;
Sive cucurbitinis gaudes, gravibusque volemis,
Sive tarantinis, crustumiisque piris.
Attamen inspicias culmis quae grandibus haerent,
Optima sic tuto noscere namque potes.
Primo igitur serra truncus resecatur agrestis;
Instrumeuta operi sed satis apta cape.
Fit cuneo sinus, inseritur dein surculus illic,
Ut tamen hinc truncum tangat, et inde librum.
Hoc genus Agrícolae secta dixere corona;
Promit enim ramos secta corona novos.
Caudice seu scisso plantas immitte feraces,
Et faciant rami cornua bina duo.
Hoc scisso dicunt trunco, qui rustica callent,
Quod media in solidum scinditur inde via.
Ergo age quique magis lubeat modus elige, custos;
Alterutro fiunt insita nempe modo;
Praeterea veteres quos non habuere coloni
Tempora nostra modos insitionis habent.
Longa dies mores, vocesque immutat et artes,
Et nova res ipsa vel novitate placet.

At circumpositis incisae vulnera plantae
Corticibusque tegas, viminibusque liges,
Ne tenera aut Boreas, glaciesve, aut frigus adurat,
Aut avido arrodat germina dente pecus.
Sunt qui lunarem faciem, variosque recursus
Observent, Lunae sed mihi nulla fides.
Sunt quoque qui patulo niteant quae sidera coelo
Inspiciant, vel quae tempora mense fluant.
Tempora cuncta reor tamen insitionibus apta,
Delia seu pleno, seu micat orbe novo.
Seu piger impellat borealia plaustra Bootes,
Seu flagret aestivo Sirius igne Canis.
Attamen hoc unum caveas, ne nubilus aer
Jam prope casuras forte minetur aquas.
Ne vel corrumpat ramos gravis unda tenellos,
Effusove recens imbre putrescat opus.
Surculus humorem alterius tunc excipit intus,
Et nova vitalis germina succus alit.
Haud mora adoptatis surgit laetissima ramis
Atque peregrinis arbor onusta piris.
Miraturque novas frondes, et non sua poma,
Vimque, decusque recens, ingeniumque ferax.
Ergo agite, ad coelum felices tollite ramos,
O pira dulcis amor, deliciaeque meae.
Neu vos immodicis laedat fervoribus aestas,
Horrida nec nimio frigore laedat hyems:
Sed blandus tepor, et mitissima nutriat aura,
Et puro virtus aethere solis alat.

Forsitan inquires quaenam insitionis origo ,
Risu digna quidem res, referenda tamen.
Cum virides Asinus decerperet arbore frondes,
Inde avidis ramum morsibus abripuit
Indoluit , veritusque graves tum villicus iras ,
Rem domino studuit callidus occulere.
Avulsum trunco ramum super addit , et aptat ,
Dein circum adiecta fronde , lutoque tegit.
Protinus appositum cernit coalescere ramum ;
Et stupet ignotae villicus artis opus.
Hoc igitur primum agricolae didicere magistro
Quo foret insitio conficienda modo.
Sic referunt , queiscumque tamen natalibus orta ,
Nil mihi, dum caris me juvet illa piris.
Carmine quo siquidem praeconia cuncta pirorum ,
Et decora , et laudes enumerare queam ?
Si pira quis renuat, si barbarus oderit , ille
Desipit, et sensu nobiliore caret.
Omnem si languens stomachus fastidiat escam ,
Nullaque si gustet fercula sensus hebes ;
Haec comede , haec stupido sapiunt jucunda palato,
Innocua haec recreant languida corda dape.
Si te tonsillae , si te pituita molestat ,
Humoresque mali , tristitiaeque graves ;
Haec moestum exhilarant animum humoresque resolvunt ,
Scilicet ut cursu liberiore fluant.
Si tibi febrilis venis calor aestuat imis ,
Sique tibi fauces siccat anhela sitis ,

Illa sitim expellunt dulci gratissima succo ,
Illa salutarem dant bene cocta cibum.
Quin etiam postquam, res est notissima , fungos
Ederis ancipites , haec ede , tutus eris.
Me tumido occidunt medici sermone loquaces ,
Et caput obtundunt barbara verba meum.
Sint pilulae , et decocta procul , nec terreat atra
Me phiala , et potu Pharmacopola nigro.
Me superi incolumem servent : at si ingruat usquam
Morbus , erunt cunctis haec medicina malis.
Sanus et aeger edas , aegro namque optima prosunt
Pharmaca , sique vales grata sapore placent.
Grata sapore placent, etenim quid dulcius illis ,
Gratia quae major , quis mage gratus odor ?
Odi ego regales epulas , coenasque Luculli ,
Luxurias odi , Sardanapale , tuas.
Sumptibus immodicis epuletur Apicius , ulla
Quandoquidem immensae non satis esca gulae.
Ipse piris contentus agam , pira sola requiram ,
Exornent mensas et pira sola meas.
Dum pira namque mihi nusquam carissima desint ,
Caetera si desint fercula , laetus ero.

DE PACE INTER EUROPAEOS PRINCIPES

CONSTITUTA

SERMO

Candida Pax, viridique olea circumdata crinem
(Sic quoniam placitum Dis) aethere venit ab alto
Europae fines, miserasque revisere terras.
Egregium Divum munus. Lusitanus Ibero,
Gallus et aequoreo concordi pace Britanno,
Et tandem indomito juncta est Regina Borusso.
Nunc igitur longo turbata Europa tumultu
Gnatis parce tuis, insano parce furore
In tua sanguineum convertere viscera ferrum.
At tu praecipue ingenti concussa ruina
Nunc tandem optata gaude Germania pace.
Ipse etiam quamvis longe semotus ab armis
Mitia Musarum studia inter, et otia Romae;
Pace tamen reduci fruor, et mihi gratulor ipsi;
Non quia tuta garum feret anglica navis, et alec,
Et piper, atque inda dulces ab arundine succos,
Sive ab odoriferis aromata vecta Moluccis;
Sed quia gens fatuo in partes divisa favore
Cessabit miseras implere ambagibus aures
Commentis addens facili commenta cerebro

Eruta, et ingenti super his ignescere rixa;
Nam si finitimos armat discordia Reges;
Quisnam bellorum tricis vacat angulus Urbis?
Quae non deposito turpis muliercula fuso
Quis vinive cados, olei quis bajulus utres
A Tiberi vectans humeris mercede locatis
Quisve ad Agonalem Circum, Agrippaeve Columnas
Poma, nucesque rudi vendens, atque ova popello,
Non crepat arma, Duces, et Regum praelia narrat?
Quemcumque alloqueris, quicumque fit obvius, ultro
Te rogat: anne novi quid habes, quid Gallus, et Anglus,
Quid Lusitanorum, quid Rex meditatur Iberus?
Si quidquam te audisse neges, ut te juvat, inquit,
Sic semper nugari: age vero edissere, sodes;
Jurantem te scire nihil, quod publica rerum
Turpiter ignores, sic dedignantur ut ima
Abjectum de plebe hominem, cultuque carentem,
Inter et urbanos renuunt admittere coetus.
Illinc elapsum te protinus occupat alter,
Quo quo tam propere? ergo novi nil tu mihi narras?
Nil habeo tibi quod referam: me nunc sine: adesdum,
Numquid Ephemeridas legisti? non utique: ergo
Dicam ego: quandoquidem multa illic digna relatu;
Non opus est: dicam paucis: alio vocor: hinc tu
Haud hodie effugies, audi: dic ultima tandem.
Vere novo centum parebunt millia Daun
Imperio, ferme totidem reget agmina Laudon,
Pannoniae advenient acies, ter millia centum
Gallia conscribit: plenos Hispania fundet

Thesauros: sed enim sociis dabit Anglia vires
Jungentur. Batavi, Germania tota coibit,
Totisque armatus pugnabit viribus Orbis.
Ast unum miror, quod barbarus Induperator,
Qui Constantini magna dominatur in Urbe
Ad Thraciae fines multis cum millibus adstat,
Pannoniae veniat dubium est an amicus, an hostis
Quamlibet esse aliud; quod te magis urgeat, ad te
Hoc nihil affirmes referre, tenet tamen usque,
Et tunicam scindit, laterique tenacius haeret,
Atque uno semper sermone occidit eodem,
Frigidus interea talos dum sudor ad imos
Manat, et enixa tacitus prece magna precaris
Numina, ut incolumem te dent divellier illinc.
At lubeat paullum Calidae subiisse tabernam,
Omnibus illa patet, dat quippe frequentia lucrum,
Ingredere o, sodes; oculosque fer omnia circum.
O qui concursus hominum! quam spissa Corona!
Quam variae resonant discordi murmure voces!
Tantisper reside: blateronum haec scilicet aula est;
Hic variis distincta choris ignava Juventus
Assidet, et tumidis sufflans ferventia buccis
Pocula sorbillat nigro spumantia potu,
Et crebros rumpit variis sermonibus haustus
Molliter immergens semiusti crustula panis,
Ut matutina stomachum suffulciat esca,
Neve diu vacuus suspiret prandia venter.
At mage turba frequens illic fervente Leone
Vespertina graves aestus cum temperat aura,

Convenit infensi pertaesa caloris, et udum
Sudorem abstergit, et ventilat ora flabellis.
Tum siccas gelida fauces refrigerat unda,
Et nive concretos avido bibit ore liquores.
Interea rigido suspendens omnia naso,
Et quidquid tota geritur, vel dicitur urbe,
Praecipue casus bellorum, arcanaque Regum
Consilia expendunt: nimium temeraria culpant
Facta Ducum, cauteque docent procedere in hostem
Protenso montes digito, vaga flumina, et urbes
Signantes, brevibusque arces, atque utraque claudunt
Agmina lineolis: quippe illi mille locorum
Nomina, mille Ducum expromunt, stantes pede in uno.
At plerique novis perculsi vocibus ultro
Pro Ducibus sumunt urbes, proque urbibus amnes,
Et sibi confingunt conjectum in vincula Rhenum,
Gallorum siquidem facile Dux creditur ille,
Creditur et, (nimirum distat) Dumquerca Sacerdos.
Nil tamen hoc refert, satis est garrire, suasque
Quemlibet ambages magno defendere nisu.
Sciduntur sed enim studia in contraria partes.
O qui aestus animi! contentio quanta! Britannis
Hic favet aequoreas late dominantibus undas;
Et vocat Oceani Dominos, Bellique Magistros,
Horum quippe rates Eurusque, Notusque verentur,
Cunctaque Regna timent immenso dissita tractu.
Pro Gallis strepit hic, et tollit ad aethera Gallos,
Heroasque vocat, quin et Cacodaemonas; armis
Scilicet invicti, perrumpunt omnia firmis

Pectoribus , murique , et propugnacula cedunt.
Est quoque qui totus caleat pro Rege Borusso ,
Miratus quaecumque jocans ait ille, facitve ,
Et stupet in minimis , nugas veneratur et ipsas.
Is belli fulmen, is Marte, et Pallade natus ,
Major Alexandro nimirum , et Caesare major
Bellandi leges ipsis dedit hostibus , ille
Heroas conflat , nam quisquis sub Duce tanto
Militiam edidicit , valet is pro millibus unus.
Ecce sed ingreditur Reginae fautor anhelans,
Proque illa pugnosque pati , colaphosque paratus ,
Et trepidans audistis, ait , audistis , amici ?
Circumfusa illum tunc protinus instat , et urget
Turba frequens : ast ille refert , ceu nuper ab ipsis
(Ne forte addubites) pervenit epistola castris
Austriacis , magni fidissima nuncia casus ,
Nam qui Pannonias cogit sub signa cohortes ,
Consilio Dux ille potens , invictus et armis
Transiluit noctu fossas , inimicaque castra ,
Stravit et hostiles ingenti caede catervas,
Aggressus somno mersas , nec tale timentes
Quippe Borussorum ceciderunt millia septem
Transfixi gladiis, totidemque absorbuit amnis
Dum fugiunt caeca trepidi formidine ; captos
Bis totidem ferme memorant, reliquosque per agros
Late palantes , sparsosve per avia. Quotve
Victorum cecidisse ferunt ? mirabile dictu !
Aut sex , aut septem , aut certe non amplius octo.
Et fuerit , quis tam demens , tam fautor inepte ,

Qui velit haec capiti portenta obtrudere sano?
Nam facilis res est: quippe hi sunt fulmina, at illis
Subere confictae dextrae, conflataque gypso
Corpora: sed nulli cutis est impervia ferro,
Ignitumque cavo cum plumbum exploditur aere,
Cujusnam pectus tanto impenetrabile ab ictu est?
Idcirco haec Petus, cui frons, cui cognitus omnis
Index librorum, et multo cacoethe tumet cor,
Ad trutinam vocat, atque animo advertenda sagaci
Plura jubet: tum praeteritis praesentia confert
Et notat historias, aevique exempla vetusti,
Scipiadas, Fabios memorans, fortesque Camillos,
Et belli eventus omnes, casusque futuros
Nunc juvat adversos, nunc praesagire secundos.
Saepe ibi Rullus adest, hispano et pulvere faedas
Assidue nares opplet, nasique latrinam
Cum sonitu emungens immundo serica mucco
Lintea conspurcat: Non illo doctior alter
Nosse puellarum igniculos, et gesta procorum,
Et genus, et patriam cujuslibet, et genium urbis;
Cuncta patent illi procerum penetralia, cunctos
Patricios stricto sibi foedere jactat amicos.
Exagitent magni quaecunque negotia Reges,
Et quaecunque ferat longinqua Nuncius ora
Praecipiti huc advectus equo, aut arcana papyrus,
Cuncta scit; hic tacitusque sedens, paullumque seorsim,
Ut solet, a reliquis, gestu, tenuique susurro
Improbat haec, dudum auscultans, secumque cachinnans,

Propterea conversi omnes exquirere Rullum,
Ambiguumque gravis responsum reddere Rullus:
Tu quid ad haec? nugae: o bone, dic; namque omnia scire
Te, quoniam proceres propius contingis, oportet.
Magnum aliquid nulli prodendum pectore condo:
Dic, sodes, nihil effluet hinc: taciti sumus: apto
Tempore noveritis. Renuentem dicere quidquam
Hunc unum egregie servare silentia credunt
Mistica dum jactat, vacuas et venditat offas,
Ampullis tumidus, ceu vento follis inani.
At validam oppugnat si quando exercitus Urbem
Quae sese magnis opponit viribus hosti
Aggere murorum, et triplici circumdata fossa,
Protinus ipsa typis impressa Urbs promitur: illic
Fas spectare frequens muros unde aenea turris
Fulminat, et volucri munimina diruit igne;
Utque per obliquos procedunt agmina calles,
Ut saepe obsessi erumpunt e moenibus, utque
Invadunt hostes obscura noctis in umbra,
Atque opera evertunt magno constructa labore:
Ast aliquis, mediusque sedens, et lusca rotundis
Lumina crystallis acuens, et voce magistra
Singula designat oculo subjecta fideli.
Assurgunt, densique humeris glomerantur, et adstant
In gyrum collecti omnes, oculisque tabellae
Intentis, inhiant avidi, tum garrula miscent
Jurgia discordi sermone: per herculem, ait quis
Urbs cadet illa brevi, nisi forte exercitus ultro
Auxilio veniat. Stabit, tunc excipit alter,

Illa diu stabit: quin obsidione soluta
Fracti hostes tandem abscedent: asperrima surgit
Verborum pugna, et magno contenditur aestu;
Tum partes inter fit sponsio, pignore utrinque
Deposito: at potius, capita o stultissima, vestris
Consulite, o tandem rebus, intactaque magnis
Principibus Belli, Pacisque relinquite jura.
Quae siquidem prurit tam stulta, et inepta libido
Noscere Sauromatae quid agant, Maurique, Arabesque,
Extremique Indi, glacialis et accola Ponti,
Atque intestino vexatus Persa tumultu?
Unde huc vix tenuis famae perlabitur aura
Undique progressu longo mendacia cogens.
Nec tamen idcirco ignarum sic vivere quemquam
Jussero, truncus uti, vel pondus inutile; namque
Qui status, rerumque vices, qui publicus ordo
Ignorare, homini turpe, et miserabile duco.
At pugnas, variosque sibi confingere casus,
Quicunque in vulgus manent, rumoribus angi,
Et Regum passim trutinari facta, Ducumque,
Hos odisse, illis studioque, animoque faventi
Haerere; hoc fatuum dico, hoc et prorsus ineptum.
Num regum vestro melior fit causa favore?
Causa patrocinio non defendenda, sed armis;
Plus etenim stricto valet unus acinace miles,
Quam blateris armata cohors, et dextera inermi.
Quod juvat ergo magis, et quod mage pertinet ad rem,
Quodque hominem decet, et dignum sapiente, bonoque est,
Et nescire malum, studio conquirite sano,

Neu solidas longis horas consumite tricis,
Dum res interea fortasse domestica vobis
Claudicat, ignavus teritur dum pulvere Codex,
Et vetera arrodunt impune volumina mures.

DE VIRGINE IN COELUM ASSUMPTA

HENDECASYLLABI

Adeste huc niveis stolis amicti,
Ornantes roseis caput corollis,
Et pompa nitidi venustiore ,
Insontes Pueri , Puellulaeque ,
Et quidquid Pueris , Puellulisque
Usquam est purius , innocentiusque ;
Vestro namque hodie canendus ore
Magnus Virginis inclytae triumphus,
Qua nil purius , innocentiusque
Æterni Artificis manus tulere ,
Et cui nulla parem edidere saecla.
Vos ipse hendecasyllabos docebo ,
Ipse et versiculos suaviores ,
Quos mihi neque phoebus, et minerva ,
Nec dictant heliconiae sorores ,
Quas mendax sibi finxerat vetustas ,
Et vates sibi somniant profani :
Sed Caeli veniens ab arce virtus ,
Quae sacro mihi replet igne pectus.
Nunc ergo Pueri, Puellullaeque
Sacrum dicite canticum: q uid illa
Scilicet potius , libentiusque

Audit, quam Pueros, Puellulasque
Sibi carmina sacra concinentes?
Haec illa est siquidem canenda vobis
Virgo gloria Virginum, decusque,
Quae, cum vox Domini vetustiores
Dissipans tenebras, chaosque frangens
Sonans imperio potentiori
Formas ex nihilo extrahebat omnes,
Cum super faciem ambulans Abyssi
Dei spiritus incubabat undis;
Cum primum omnipotens suprema Virtus
In gyrum aethereos rotabat Orbes,
Lucem tempore dividens, locoque,
Ponebatque mari arginem frementi:
Praesens Consiliis erat supremis
Divae Filia mentis, et profundis
Educta e sapientiae latebris.
Haec exempta Dei manu potenti
Naturae maculis, originisque
Parentis sterilem reclusit alvum,
Et primum jubar attulit salutis,
Inter virgineos Puella coetus
Tanto purior omnibus puellis,
Quanto vel rutilans micantiori
Cuncta lumine vincit astra phoebus.
Haec Verbum gremio tulit supernum
Inexperta virum, et diu expetitam
Æterni Sobolem edidit parentis.
Verum quis vehemens doloris ictus
Cor scidit tibi filium tuenti,
Tuas delicias, tuumque amorem

Passum saevitias furentiores?
Expirare animam ejulantis inter
Clamores Populi ferocientes?
At vobis Pueri, Puellulaeque,
Piae si lacrimae effluunt ocellis,
Dum tanto miserescitis dolori,
Modum ponite fletibus; voluptas
Nam recens veterem expulit dolorem,
Dum curru super alta glorioso
Scandit sidera filius resurgens.
Verum post lacrimas amariores
Vitae curriculum severioris
Clausit dulci obītu Beata Mater;
Nam nec mortis iter tenebricosum,
Squallentemve situm attigit sepulcri;
Vitae munere sed fruens perenni
Cingens siderea caput Corona,
Perque altum aethera filium sequuta
Sublimi ingreditur polum triumpho.
At vos, o Pueri, Puellullaeque,
Albis spargite liliis inanem
Certatim tumulum, et simul canentes
Laeti dicite io, io triumphe.
Auditis, resonent velut sereno
Plausus aethere, Caelitumque turmae
Laetae io geminent, io triumphe?
Jam satis Pueri, Puellulaeque:
Vestros ipsa etenim benigna cantus
Excepit, placido favensque vultu,
Et Dei solio assidet superno
Nostris praesidium, salusque rebus.

EPIGRAMMA EPITHALAMICUM

Nec dulces oculi motus , nec dulcia verba ,
Quae cordi igniculum subdere blanda solent ,
Nec molles artus , o virgo , nitorque Juventae ,
Nec quae circumstant Te decora , et charites ,
Nec quaevis avidus probat , et commendat amator ,
Qui rerum externo pascitur intuitu ;
Sed probitas , candorque animi , cognataque virtus ,
Et placidi mores , et docile ingenium ,
Quaeque verecundo Tibi pulchra modestia vultu ,
Quaeque sedet puro pectore simplicitas ,
Et quaevis sapiens probat , et commendat amator ,
Qui cordis dotes aestimat, atque animi ,
Illustri placuere viro , cui nubis : in illo
Nec praeclara minus , quae placuere Tibi.
Sic igitur virtus similes vos fecerat , unum
Nunc vos efficiet conjugialis amor.

CARMINA

Neve ego debueram, prurit siquid cacoethis,
Auditor tantum, tacitusque tot Arcadas inter,
Ut multorum unus, ignavo insistere scamno,
Et capitis nutu, manibusque aliena probare
Scripta supercilium rugans stupefactus utrumque,
Seu quisquam molli distillet verba palato,
Seu tumido explodat versus pulmone sonantes
Sese contorquens, et gesticuletur anhelans;
Non etenim fas hoc juveni, quem Juppiter aequo
Lumine nascentem vidit, musisque sacravit;
Namque licet quidam me cincinnatus inepti
Carminis Auctorem dicat, neve aestimet assis;
Attamen Arcadicum legor ipse relatus in album,
(Jure autem, necne, hoc tu videris, o bone Custos,)
Quin etiam toties nitidis cudenda libellis
Carmina conscripsi, seu sacra orator ab aede
Indixit vitiis inter jejunia bellum,
Seu nupta est avido formosa puella marito,
Seu sacra virgineo velarit tempora peplo:
Unde dati plausus, et me dixere Poetam
Assentatores: sed non ego credulus illis;
Sat me etenim novi, satis et mihi conscius ipsi.
At si alii titulo gaudent, et honore Poetae,

Quos tali Phaebus nusquam dignatus honore est,
Quidni ego? Sed vatum, ut lubet insere, et exime turbae,
Quo se cumque tamen res isthaec verterit, adsum;
Euridalcus heri siquidem, tum deinde Philillus
Sub noctem ad Calidae inventus mihi forte tabernam,
Vendit ubi Venetus dulcem sitientibus undam,
Admonuit: cras magna cohors Custodis in aede
Conveniet vatum angusto numerosa cubiclo.
Hic, sodes, tu etiam fueris, et quod lubet, affer.
Ast ego tum nasum crispans, et lumina torquens,
Eripe te hinc: musas jussi, phoebumque valere:
Siquid habes alias dictum, repetes: pudet: ergo
Quidquam finge novi: non id lubet, aut vacat: ut tu
Durus homo es: toties ab amico turpe rogari.
Ast me quid majus urget: venias tamen; illic
Te nemo invitum teneat; quid si urget, abibis:
Pol! me occidisti; veniam. Veni ergo, fidemque
Sic tenui; satis hoc; etenim quod promere possim
Nil habeo. Quid agam? Num scilicet expediat me
Bisseptem Italico disponere carmina metro?
Hoc multi faciunt. Lyricum num promere cantum?
At quis Pindaricum mihi protinus ingerat aestrum?
Num satyram dicam? hoc hoc, o dulcissime rerum,
Eja age, dic satyram, satyram dic eja age, sodes.
At paullisper adhuc, animoque atque aure favete,
Me ne inopem cerebri usque adeo censetis, amici,
Terque, quaterque bonum, ut satyram conscribere dicar?
Non ita, dum mentem servent mihi Numina, dumque
Haeserit una salis capiti semuncia sano.

Nam licet infensum vitio sit, et utile carmen,
Publica quod jaculo figit peccata salubri,
Criminis auctori parcens, dum crimina carpit,
Neve pudicitiae leges, nec moris honesti
Offendat turpi satyra, nec nomine quemquam
Designet, vulgetque aliena opprobria vates;
At satyrae nomen vulgi sonat aure nefandum,
Et si sorte mala satyrae culpaberis auctor
Ad centumcellas operi damnaberis inter
Pileolos rubros, et crassos bardocucullos.
Quod superest igitur, nihil est. Jam parce, Philille.
Dixi utcumque aliquid; tu, si potes, exprime succum.
Haec ego praeterita congessi carmina nocte,
Non ad candelae faculam, vigilemque lucernam,
Sed thalamo expansus, donec subrepsit in artus
Sensim somnus iners, et fessos clausit ocellos.

SERMO

Nempe hoc assidue? et gratum facturus amicis
Vatum difficili tam saepe inclusus agone,
Ceu puer ante nigrum recitans data pensa Magistrum,
Mussarim titubans, imo expiscata cerebro
Carmina micturiens, rebusque indigna locisque?
Quippe ego, si superi grandi turgescere versu,
Egregiosque darent vates aequare canendo,
Cum lubet, et pulchrae laudis seges ampla metenda est,
Non equidem toties paterer, totiesque rogari,
Sed forte huc, ceu qui mercem renuentibus offert,
Ultro accessissem petulantis more poetae,
Et largo pulmone sonans, atque ore rotundo
Expuerem versus auro cedroque notandos;
Neu te praecipuo fraudarem laudis honore,
Caesareo Juvenis nuper circumdate serto,
Cui voto unanimi jam nunc Germania magnum
Destinat Imperium, et patrios designat honores.
Ast humili quoniam me tantum ludere versu,
Et laetos miscere jocos indulsit apollo,
Insipiens ausim tenui tractare camoena
Argumentum ingens, et longe viribus impar?
Quid tamen? anne mihi datus est impune fovendus
Hic locus? Haud equidem. Pereat palpo improbus ille,
Qui me huc nolentem adduxit. Sed quid juvet ultra

Intempestivas tricando nectere caussas ?
Frustra oneri dorsum nimirum subtrahimus , ceu
Cum misere sese distorquet asellus , iniquo
Nequicquam excutiens clitellas fuste gravatas.
Ergo importunus vatis pudor absit ab ore.
Num mihi trans alpes famae jactura verenda est,
Et trepidem, dicar ne carminis auctor inepti ?
Hoc caveant , quorum gliscit caprificus in imo
Pectore, et aeternum quaerunt sibi nomen in aevum.
Non etenim prurit scabies haec in jecore aegro ,
Certus quid tali liceat sperare poetae.
Nam nec perpetuis vivent impressa papyris ,
Nec mea Danubium pertingent carmina , neve
Obtutu haec unquam Caesar dignabitur uno :
Sed quo nata die , fungos imitata , peribunt.
Quid refert trutina periturum expendere carmen ?
Qualiacumque loquar , plausus fortasse dabuntur.
Assidet Auditor ? recitanti plaudere jus est,
Quamlibet indocta non intellexerit aure :
Nunc ergo Austriacae stirpis te , REGIA PROLES,
Germanique decus , spes et certissima regni ,
Alloquor absentem, et si libera cuique potestas
Sensa aperire animi , et quae quis putet optima , fari ,
(Quandoquidem haud votum, nec mens est omnibus una)
Longe aliis potiora tibi fortasse precabor.
Bellorum tibi fausta canant praesagia vates ,
Et pugnas , magnosque crepent pleno ore triumphos.
Tum Byzantino minitentur fata tyranno ,
Sternentesque viam late victricibus armis ,

Jam nunc ad sacrum solvant pia vota sepulchrum,
Ipse etiam tibi fausta precor, sed quae rata fiant
Eventu facili, nulloque labore parentur,
Vivere queis possim longum felicior aevum,
Ingenioque meo mage respondentia; namque
Mi dociles mores, animumque quietis amantem
Di dederunt, longe pacem qui praeferat armis.
Arma procul, martis dira instrumenta, necisque:
At tu, quaeso, animum ne tanto assuesce furori,
Neu quaeras multo venalem sanguine laurum,
Tristia neu miserae natorum funera matres
Collacriment, neu sponsa recens orbata marito
Milite agat viduas lugendo frigida noctes,
Neu jaceant avidis inhumata cadavera corvis;
Sed viridi Pax alma caput tibi cingat oliva,
Et jucunda quies, et pleno copia cornu,
Virtutumque cohors, et doctae Palladis artes,
Auspice te, vigeant, tutoque fruantur asylo.
Non ideo tamen horter te languescere molli
Desidia; neque enim imperio, populisque regendis
Natum, te magni talem instituere parentes.
Nec sibi te duplici generosum e stipite germen,
Austria degenerem, nec Lotharingia poscit.
Arma lacessitus tantum cape: sentiat hostis
Te invictum bello, et plenum virtutis avitae,
Et tecum jungi concordi foedere poscat.
Tu vince, et victo pacem concede petenti,
Ut nova pacato revocentur gaudia regno,
Et te finitimi Reges vereantur, amentque,

Tuque diu placida populos in pace gubernans
Otia laeta illis, atque aurea tempora dones,
Ævi deliciae nostri. Sic Æthere ab alto
Audiat ista Deus, et praevia vota secundet.
Haec ego num dubitem eventu firmanda futuro,
Cum nobis etiam flavi prope Tibridis undam
Isthinc sepositis, alioque sub aethere natis
Sollicitas inter curas, trepidosque timores
Laetitiam attulerint fausti praeludia regni?
Nam nos assiduo dudum terrore premebat
Formidata nimis cereris penuria, plebsque
Cum strepitu exposcens panes ad limina furni
Aspera miscebat pugnis convicia: quovis
Quisque die, saevamque famem, atque extrema malorum
Anxius impendere sibi trepidabat, inanes
Lymphatum vulgus rumores usque serebat:
Exitium nobis, et inevitabile fatum
Imminet, heu! miseris annona aliunde negatur,
Pastillos Edicta vetant, et pane secundo
Invitos vesci cogunt, solidaque farina,
Quin etiam auxilium afflictis, spesque unica rebus
Deperiere rates frumenti pondere onustae.
Altera namque austris impacta ad litus iniquum,
Ostia dum contra obnitens Tyberina subiret,
Vi maris effracta est; dum portus altera amicos
Intraret, scopulis affixa pependit acutis.
Tum nova ubique sibi mala fingere, seque vicissim
Scitari; quantum jam panis restat edendum?
Horrea frumenti modios quot publica servant?

Quantulo ab hinc nobis pereundum tempore? Quin et
Littore in Illyrio dudum furit aspera pestis
Adriacum contra latus, Italiaeque minatur
Fatale excidium, et diri contagia morbi.
At vos Di perdant natum genus usqne malignis
Exterrere animos avibus, atque omine laevo,
Improba bubonumque propago, tubaeque malorum,
Quoad tandem nostras infausta canetis ad aures?
Non adeo Caelum nobis irascitur: Est hic,
Est qui prospiciat, vigili nos mente gubernans;
Est mala qui avertat sapiens, et publica curet.
Interea haec gelido stringebant maesta pavore
Pectora, cum nostram vulgata est fama per urbem,
Te Romanorum dixisse Comitia Regem
Unanimi Procerum voto: Tum protinus omnes
Exultare animis, et laetos sumere vultus,
Veraque laetitiae certatim promere signa,
Obliti curas omnes, atque omnia laeva.
Praeterea ternis per totam noctibus urbem
Innumerae illuxere faces, nitidaeque fenestris
Dispositae longo flagraruut ordine tedae.
Tum Procerum ante fores crepitantibus arida flammis
Dolia sarmentis conferta cremantur, et altum
Aera pervolitant, populo plaudente, favillae:
At legatorum sacra ante Palatia tignis
Ardent imposita, et noctem funalia vincunt;
Unde gravi fumo, piceoque afflata vapore
Femina praeteriens avertit languida nasum.
Quin tectis excita suis Romana Juventus

Discurrit laetae media inter lumina noctis,
Liberaque exultans per lucida compita nutu
Passim occurrentes, et voce salutat amicos.
Omnia dum resonant plausu, turbaeque canentum
Hac illac sese glomerantes agmine denso
Unanimem variis concentum vocibus edunt.
Ast ubi in excelso quadruplex via colle Quirini
Panditur, et totidem manant e fontibus undae,
Nocturna Albani praebent spectacula Patres;
Multa illic nam luce facum longissimus ordo
Magnum aliquid, pulchrumque procul spectantibus offert,
Cornuaque altis in speculis, lituique, lyraeque,
Et duplici divisa choro symphonia gratum
Personat alternis mulcens concentibus auras.
Affluit huc ingens hominum concursus, et altum
Exuperant alacres clivum, numerosaque longe
Agmina quadrivio gliscunt, densusque viro vir,
Et cum Patriciis turmatim ignobile vulgus,
Rhedarum artifices, sutores, et ciniflones,
Atque machaerophorum paleatis turba galeris,
Mutuaque inter se conserti brachia nexu
Umbricius, Maculo, Tongillus, Natta, Cicerrus,
Nunc hos nunc illos acri cum scommate mordent,
Et tollunt crebros petulanti splene cachinnos.
Ast aliquis turbae insertus marsupia tentans
Callidus unguiculis, studet abdita manticulando
Surripere aera: crumenisecam, Romane, caveto;
Tum se gaudentes festo immiscere tumultu

13

Galla Tigellino , Lalageque innixa Bathyllo ,
Cumque Lupo , Sibarique , et rixatore Marullo
Psaltria Calliroe , Chrysisque , et subdola Baucis
Calceolis trepidant nitidis brevibusque theristris ;
Commistaeque procis nuptae innuptaeque puellae
Cycladas indutae tenues , et candida Coa.
At gressu longaeva parens incedit anili
Pone sequens, parvumque manu trahit aegra nepotem ,
Commemorans celebres quondam se virgine pompas,
Dum juvenes inter lascivit nata procaces
Jam docta ancipites audire , et reddere voces.
Ipsa etiam currum , et celeres pertaesa jugales
Patriciae pubis circum stipata corona
It matrona pedes , et longo compita verrit
Syrmate , quam dextra gradientem fulcit Amyllus
Cirratos albo conspersus pulvere crines ,
Obsequiosus homo , apprime muliebria callens
Officia : His famuli praeeunt , et voce , manuque
Obstantem removent turbam , atque impulsibus urgent.
Hinc , heus , hinc clamant , medioque recedite calle.
Hic me , dum vario captus modulamine pompam
Suspiciens haerebam, oculos illectus , et aures ,
Improbus inconsultum urgens , nec tale caventem
Praecursor latus impulsu pessumdat iniquo.
Ast ego tunc ictu excussus , subitoque dolore
Protinus inclamo : quidnam rerum geris ? ohe !
Costam luxasti. Et merito , percussor ait ; nam
Quid tu isthic , ceu truncus iners, aut palus in horto ?
Pol ! itane ? excipio : miseros sic perdere jus est

Ergo tibi , fugitive ? fuit quid nempe negoti
Incautum monuisse prius ? Tum furcifer ille
Torva tuens : te ne hiscere adhuc ? Ni te ocius isthinc
Proripis , importune , caput tibi fuste dolabo.
Sic ait , elataque manu , strictoque minatur
Me baculo ; vesana meum jecur urere bilis :
O vos , ajebam tacitus , vos o bene cauti
Nati trans Tiberim , impatiens cerebrosa juventus ,
Aurigae , Lanii , Cerdones , id genus omne.
Protinus exerto expedientes jurgia cultro.
Verum quid facerem ? suasit prudentia salvo
Occipite elabi , et me surripuisse periclo.
At casum rident contracta nare sodales ,
Multa cavillantes super hoc , et scommota damno
Addentes: sed enim compescunt publica bilem
Jubila : cum magno tandem risuque , jocoque
Sera nocte domum repeto . Jam quippe fenestris
Lumina rarescunt , et crebro flammula motu
Palpitat, et siccis languet moribunda lucernis.

INDEX

IMPRIMATUR

Joseph Dec. Giusti Pro-Vic. Gen.